ORATIONES
QVAS
FRANCISCVS SANBENEDICTVS
Ab Rhetore suo
In nobiles adolescentes ad
pronunciandu[m]
dispersas
COLLEGIT

Bibl. Coll. Rom. Soc. Jesu

MEDIOLANI Apud Pandulfum Malatestam. 1 6 2

Auctor est P. Jo. Gulielmus Calaueronus Societ. Jesu.

Die 3. Iulij 1624. Imprimatur.

Fr. Hyacintus Vicecomes Vic. S. Officij Mediolani.

Fr. Al. Bariola Consultor S. Offitij pro Illustriss. D. Cardinali Archiepiscopo.

Vidit Saccus pro Excellentiss. Senatu.

ILLVSTRISS.MO D. D.

IO. MARIÆ VICECOMITI

FEVDATARIO REGIO.

FRANCISCVS SANBENEDICTVS

FELICITATEM.

ORationes, quarum à me primùm exemplum expetisti; deinde, etiam, vt latiùs vulgarem hortatus es, typis tandem impressas tibi deferēdas putaui. haud equidem, vt hoc facto gratiam abs te inirem, in cuius possessionem paterno beneficio veni: nec officijs eam meis ali necesse est, quæ tuis in dies beneficijs crescit. Ne illam quidem solū,

quamquam optimam rationem secutus sum, vt, quæ te suasore, & authore lucem aspiciunt, ex tuo nomine lucem haurirent: aut vt clamculum, ac penè furto subductum opus ibi deponatur, quo ab artifice suo (si benè illum noui) sponte deferretur, si sua posset probare; aut suo æquè, ac tuo nomini studeret; aut non vtroque minus digna iudicaret ista, quæ, quòd maiora iam animo, vt arbitror, comprehendit, tamquā iuuenilia amare desijt. His quidem nominib. debuerūt in tuo nomine apparere orationes istæ, quas publico: sed ego tamen id penè vnum spectaui; vt eo minus in me illarum author offenderetur, si tu in editionis societatē non obscurè venires. Scio quidem quàm ille longe à suarū editione orationum abhorreat, de qua non semel interpellatus, non amare se, aiebat, tantopere suū nomen grandiorib. characteribus perscribi: malleque sua ab amicis, quibus ob indulgentiam probarentur exscribi; quam excussa magnificè ab emunctæ naris hominibus, qui de opere incorruptè iudicarent proscribi. scio: sed noui vicissim

cissim

tissim quo loco te habeat quātopere colat, et obseruet; nempe pro meritis tuis, quæ ille agnoscit; pro ingenio, eruditione, ac prudentia, quæ prædicat; pro sua etiā officij religione. Quis enim illi aliqua saltem facultate præstans ignoscat, si patronum omnium amantissimum non obseruet? Quare quantum mihi succensebit, quòd in ipsius opere id ausus sum, quod nec ipse faceret, nec ab alio fieri pateretur; tantum, opinor amabit in me eam, qua te pariter colo, & obseruo venerationem: eoq; reprehensionem effugiam quòd in eam tua causa videbor incurrisse. Quamquam quid est, quo factum hoc meum displicere illi magnopere debeat, si orationes ita edendas esse putaui, vt authoris nomen omnino supprimeretur? latere adhuc per me certe integrum est: nec partus virginem suam prodet, nisi quibus illa perspecta iam fuerat. nemo vnquam imaginem ad eum retulit, quem antea non vidisset. Ergo ita consului multorum vtilitati, ac voluptati, quos mascula, ac viriliter pulchra oratoris dictio delectabit, vt eum, qui

mihi

Christophorus Pallauicinus

In idem Argumentum.

Latere, lector, operis authorem putas?
Humana non sunt, ire perditum sua:
Odisse lucem nominis: velle inscijs
Mandare dona posteris, nec gratiam
Referre: tacitus, crede, post tabulam sedet.
Si gratuleris, illico ostendet caput:
Mediaq; mox in Pergula plausum petet.

Aduerſus Scenica Spectacula.

ORATIO.

INCREDIBILIS ille Scenicorum ſpectaculorum amor, & voluptas penè inſatiabilis, qua malè feriati noſtrę huius ætatis Adoleſcentes capiuntur vſque eo, vt liberalium diſciplinarum negotium illi otio non mediocri Reipublicæ detrimento poſthabeant, duplici me incommodo affecit, Braydenſes: altero, quod occa-

ſione infinitæ horum dierum licentiæ, quibus non modo in Scenicis; ſed in ijs etiam, quæ à Scena in circos, & fora eruperunt ſeu ludis, ſeu ludibrijs quicquid ipſis eſt otij conſumunt, iuſſus ſum dicere; altero quod malè dicere. Quorum ſanè vtrumq. mihi accidit permoleſtum: Nam, & ſi frequens iſte conſpectus veſter multo mihi iucundiſſimus; locus verò ad dicendum ornatiſſimus eſt viſus ſemper; Nihil vt ex ea die, qua eloquentiæ dare operam cœpi, cuius vnius candidatis optimò ſanè iure hactenus patuit, antiquius vnquam habuiſſe mihi videar, quam, vt tantum mihi facultatis aſſidua dicendi, ſcribendiq. exercitatione compararem; quantum grauiſſimo muneri ex hoc loco dicendi mandandum eſſe maiores cenſuerunt: tamen adhuc multo mihi non modo tutius; ſed etiam glorioſius eſſe videbatur vires priuatim facere; quam publicè

publicè experiri. Illud verò multo etiã minus me delectabat, mortalium quemquam ex hoc loco, vel obiurgare, vel repræhendere: Siue quia verissimè dictum arbitrabar carere illum omni vitio debere, qui in alterum paratus sit dicere; quique sibi hoc sumpsit, vt corrigat mores aliorum, ac peccata reprehendat, neminem, qui sibi ignoscat habiturum, si qua in re ipse ab Religione officij declinauerit: Siuè quia alienum me ab illorum moribus ipsa edidit natura, qui solam de alieno dedecore gloriam quærunt; & perinde atque in pictura colorum lumina de circumfusis vmbris accendunt; quasi verò id solum nostræ famæ possit accedere, quod detractum fuerit alienæ; aut non nisi de alterius ruinis ædificium surgere nostrum possit; aut gloria perindè ac phenix, non nisi in alieno busto, ac cineribus enascatur: siue demùm, quia illorum præmere vestigia,

gia, qui hoc anno ex hoc ipso loco perorarunt valdè mihi gloriosum putabam, quorum vterq́. ita de vestra dignitate, atque ornamentis amplificandis laborauit; vt maluerit generosa vestræ virtutis semina optimis exemplis, tanquam obiectu speculi, prouocare similitudine sui; quam in vestris moribus aliquid censoria seueritate repræhendere; & de maledicentia eloquentiam, perinde atq́. de Ephesino incendio famam, comparare. Quare quod salua officij religione recusare non poteram, id officium suscepi non mediocriter inuitus.

Sed tamen vbi mihi inter ancipites, pugnantesq́. non modo cogitationes; sed etiam voluntates, tanquam in freto aliquo æstuanti, vestræ aura sapientiæ aspirauit; non dubitaui, quin, si imperatæ orationis facerem vela, eum cursum tenere posset, in quo nec hæreret in sicco ingenij, doctrinæque flumine destituta

ſtituta; nec illa obiurgandi, maledicendique licentia, ad ſcopulos alliſa, ſuis ipſis ictibus frangeretur. Hanc enim mihi, opinor, veniam veſtra prudentia, & humanitas dabit, vt citra arrogantiæ notam ſtudiorum meorum fructum aliquem adhuc viridem, & dulcem promam, dum, & venia, & ſpes eſt; & paratus fauor; & audere non dedecet; &, quod operi deeſſe ſentietis, de ætate ſupplebitis; &, ſi quid pueriliter dictum fuerit, pro indole accipietis. Ne illud quidem à veſtra ſapientia pertimeſco, ne mihi fortaſſe hęc qualiſcunque prauę conſuetudinis obiurgatio, & munus pęnè accuſatorium exprobretur, quod ne Principes quidem in Romana Republica viri detrectauerunt, adeò, vt crediti ſint etiam clari iuuenes obſidem Reipublicæ dare malorum ciuium accuſationem; quia nec odiſſe improbos, nec ſimultates prouocare niſi ex fiducia bonę

mentis videbantur. Etenim vt censoriam, ac maledicam vitam viuere, & de aliena infamia famam quęrere proximũ latrocinio, & caninis moribus videtur: Ita intestinam vitiorum pestem propulsare, cum propugnatoribus patriæ comparandum; cum patrias leges, ac iura, & hi vindicent ferro, & illi lingua tueantur: &, si citra personas res agatur, virtutem commendare, & vitia repræhendere adeò natura similia sunt, vt gemina quoque à nobis iudicentur; nec modo vim eandem ab vna radice, sed etiam idem nomen exornationis arcessant. Hac ego spe, & opinione de vestra sapientia adeò sum confirmatus, vt iam alacrior, quam circumspectior, hoc, quanquam grauissimum, orationis munus, obire audeam; & verò etiam, quæ mihi de Scenicorum spectaculorum studio, ac voluptate sunt visa, latinè, ac liberè profiteri.

Enim

Enim verò hoc ego tam vehemens Scenæ ſtudium, tantumque huiuſmodi ſpectaculorum amorem non poſſum nõ odiſſe, atq. improbare vehementer; nec modo damnandum, in viridi præſertim ætate, arbitror; verùm etiam ſeueriori-bus legibus caſtigandum. Non enim ſolum huiuſmodi voluptas, vt alia mul-ta puerorum, atq. adoleſcentum oble-ctamenta, animum auocat à ſtudio, atq. intentione virtutis, & ſcientiæ; & ini-quo ſibi iure vendicat tempus longè melioribus operibus deſtinatum; ſed eius quoq. vim omnem paulatim ener-uat, ac frangit; vt nihil impoſterum ar-duum, ac ſublimè meditetur; Sed luxu ſoluatur, ac difluat; & irritatis ea titil-latione cupiditatibus; tanquam admo-tis ſibi ſtimulis, ac facibus in omnem ne-quitiam, ac luxuriem incitetur. Benè mihi eſt, Auditores, intelligo quam non difficili, & obſcuro; ſed plano, apertoq.

loco verser. Neq. enim ad eam, quam ago causam obtinendam necesse mihi erit magnum argumentorum exercitum scribere; non per aspera, & confragosa deducere; non obsitum iter ferro aperire; non iactis, aut excitatis molibus sternere; non arduos montes, aut exæquare solo, aut longis anfractibus emollire; non arces præcisis impositas rupibus, aut operum mole difficiles occupare; non demùm operibus, & cuniculis, non occultis artibus rem gerere; non eruendę veritatis latebras adire nostra cogetur Oratio: sed in æquo congressa campo ad victoriam equitabit. Neq. enim obscurum esse poterit quid ex Scena referre soleant Adolescentes; quales ex illa schola euadere; quos inde mores efferre; quam liberales, quam castos; si modo perspicuum sit, constetq. inter omnes qualia sint illa, quæ agitantur in Scenis argumenta; quid hominum

illi ſint, per quos ea narrantur, & fiunt; quorum tantum in viridi ætate ſtudium eſſe ſolet; ac demùm quibus ſeu verbis, ſeu geſtibus, totiuſq. corporis habitu abutantur ad voluptatem.

Primùm recuſare non poſſunt Scenæ amatores, quominus fateantur ſe turpiſſimis hominibus; immo generis vniuerſi quiſquilijs, ac fæci operam dare; magnamq. hoc nomine infamiam ſubire, quod hunc illis honorem habeant, quos extra Scenam nemo congreſſu, nemo aditu, nemo aſpectu, nemo Ciuitate, nemo hac communi luce dignos putat. Etenim quis eſt adeò aut veterum Eccleſiæ morum, atq. inſtitutorum ignarus, aut in Chriſtianæ ſapientiæ Principum monumentis hoſpes, ac peregrinus, qui neſcit illiusmodi homines, qui agunt in Scena, & Hiſtrionicam profitentur impudentiam veteri Chriſtianorum diſciplina non modo ab vſu noſtro,

&

& consuetudine; sed etiam ab eiusdem nominis societate remoueri? Cyprianum quidem de Histrione ab Eucratio consultum, esset ne Christianorum in numero habendus, & ad vitæ societatem, sacrorumq. communionem admittendus audio rescripsisse, nec maiestati diuinæ, nec euangelicæ disciplinæ congruere, vt pudor, & honor Ecclesiæ tam turpi, & infami contagione fœdetur, vel eo præsertim, quòd cum vetere Dei lege sit cautum ne viri fęmineam induant vestem, ac, si secus fecerint, execratione plectantur; isti non modo muliebrem totius corporis vsurpant cultum; sed etiam in omne ludibrium effœminatis vocibus, modis, gestibus tam cautè franguntur, vt sexum credas mutasse, non togam; & arte non vicisse modo, sed extinxisse naturam: nisi huius mollitudinem illius turpitudo supergressa totũ alieni sexus pudorem profligasset.

Sed

Sed expectatis, opinor, vt ad Tertullianum veterum Ecclesię morum antiquissimum, diligentissimumq́. custodem, & vindicem prouocemus; vel eius aliquod testimonium litteris consignatum multorum loco testium producamus: qui de vniuerso spectaculorũ genere àdeò scripserit luculentè. Rectè iudicauistis. Quis enim illo potest esse magis certus, ac conscius testis, qui rem totàm altè, atq́ue ab stirpe repetens, illud omninò planũ faciat idololatriam esse spectaculorum omnium matrem, quæ, vt ad se Christianos pelliceret, blandiri illis consueuerat per oculorum, atq́. aurium voluptatem? Eius enim assertor Diabolus cum eam videret per se nudam horrori futuram, improbus quidem artifex, sed non imperitus (quis enim vnquam venena miscuit felle, ac non potius suauissimis aut cibis abscondit, aut potionibus diluit?) Scenam illi ac Siparium,

parium, ne agnoſceretur, obtendit, vt neceſſe ſit tartareum peſtiferæ radicis ſuccum vigere adhuc in ramis, & Hiſtriones, Mimos, Pantomimos, totamq. illam expudoratæ Scenæ colluuiem idololatriæ lenones eſſe, Cacodęmonis auxiliares, Chriſtianæ militiæ deſertores, ac perfugas; ſi fortè eius aliquando fuerunt Sacramento authorati.

Neq. hæc alicui vllo modo videri debet diſciplina ſeuerior, eos ſcilicet, qui agant in Scena, à Sanctiſſimis noſtrę Religionis ſacris arceri, quibus apud Romanos, quorũ vita omnis militari exercitatione conſtabat, ne militaria quidem ſtipendia facere licuerit, niſi cum poteſtas ijs de cauſis vel rogaret, vel cogeret, quibus moris eſſet etiam ſeruitia in ſacramentum militiæ liberare. Neq. enim æquũ erat Principem illum populum, quibus rebus tantum ſibi nõ modo imperij, ac fortunarũ; ſed etiã nominis;

ac gloriæ comparaſſet, earum vſum abiectis, ac ſordidis hominibus permittere. Etenim iam tum qui prodirent in Scenam, ſiue id lucri, ſiue oſtentationis cauſa facerent Romæ infamia notatos fuiſſe teſtantur iuris ciuilis partes complures, quibus eadem ipſa pœna in Scenicos ludiones lege conſtituta eſt.

Neq́. mirum eſt Hiſtriones hoc militiæ interdicto exæquatos fuiſſe ſeruitio, quos conſtat legum auctoritate, ac religione etiam ſeruitute damnatos fuiſſe: vt ne Octauius quidem Auguſtus, quod Equitibus Romanis ad Scenicas operas vſus fuerit, quamquam Senatusconſulto ea de re nondum confecto, repræhenſionis immunis eſſe potuerit. Et ſanè quam bellicæ virtutis partem, quod bellatoris munus Reipublicæ præſtare poſſent, qui non modo virum; ſed viri quoque vocem, geſtus, veſtem denique ipſam exuerent? quomodo Imperij fi-

nes

nes ab hostium excursionibus defenderent, qui ne corpus quidem ab iniuria tuerentur? Illi militaribus operis, ac laboribus sufficerent, quibus vel ipsum Vrbis otium nimis esset laboriosum, ac graue, nisi Scenæ hilaritate, ac voluptate remitteretur? Illi fortitudinis exemplum ederent aliquod, qui muliebrem mollitudiné magno labore didicissent? Hostem terrerent vultu adhuc fortasse picto, & vnguentis madente? Non ludum in ipso pugnæ discrimine Sybariticorũ instar equorum hinnirent, qui nihil præterea scirent, quã Deorum amores ad tibiam desaltare? Parum erat Romanæ Vrbis atq. Imperij maiestati consultum, nisi non modo seruili; ac sordidæ Histrionum conditioni ad militarem laudem aditus interclusus fuisset; sed etiam morum, ac iuuentutis corruptoribus ius Ciuitatis ademptum, & verò etiam habitationis, & tecti.

Itaq.

Itaq́. ipſo teſte Cicerone adeò ludicram Hiſtrionum artem, totamq́. Scenam in probro eſſe voluerunt, vt genus id hominum non modo honore ciuium reliquorum carere; ſed etiam tribu moueri notatione cenſoria voluerint, nec ijſdē tectis, ac mœnibus, in quibus viliſſima quoque mancipia, & iumenta degerent, contineri.

Scio relaxata veteris diſciplinæ ſeueritate, ęquatoq́. diuitijs luxu, potentiæ ſecuritate, laboribus otio, vt cætera voluptatum irritamenta, ſic etiam Scenica ſpectacula amari cæpta eſſe; illorumq. artifices magno tum populi; tum etiam Principum ſtudio in Vrbem admiſſos: Aliquando etiam à Lucio Vero magno numero è Syria, perindè ac Parthicum trophæum, aut deuictos Reges per triumphum in Vrbem inuectos: prorſus vt videretur bellum non Parthicum, ſed Hiſtrionicum confeciſſe.

Non

Non me preterit crescente in dies luxurie etiam in honore, ac delitijs habitos, & ad insaniam cultos: adeòut vestibula illorum, perindè ac Principum, magno ciuium concursu frequentarentur, & non modo Equites, verùm etiam Senatores illorum adhærerent lateri per Vrbem euntium. Noui Plinij, ac Senecæ stomachum, ipsumq́.oculorum in tanta rei indignitate fastidium, cum viderent nobilissimos iuuenes eo abiectos, vt essent mancipia Pantomimorum: si prodirent in publicum quanto illorum esset; quam Principum comitatior egressus; Si domi sederent, quam multos haberent suæ disciplinæ non modo laudatores, sed etiam imitatores; & cum magnum esset in Philosophorum Scholis silentium; nemo sapientiam dignam iudicaret; quam disceret, nisi in transitu; nemo de illa cogitaret, nisi cum ludi intercalarētur, aut cum aliquis pluuius

incideret dies, quem perdere non magni intereſſet; tot philoſophorum familiæ ſine ſucceſſore, ſine antiſtite, ſine docto-re deficerent: magna tamen interim cura laborari, ne cuius Pantomimi intercideret nomen: ſtare per ſucceſſores Pyladis, & Bathylli domum: Scenicæ inertiæ multos eſſe doctores: vrbe tota ſonare pulpitum, in quo viri, ac fœminæ tripudiarent. Ne illud quidem excidit mihi, non gratiam modo ab Principibus iniuiſſe hiſtriones; ſed ampliſſima quoq. tùm publica, tùm priuata ſtipendia meruiſſe: adeòut quorũ olim merces diurna erat ſeruilis denariorum quinque, poſteà quindecim aureorum millia, immanem ſanè pecuniam, annuæ mercedis nomine reſpuiſſe commemorentur; eorumq. ſerui operas ſuas non minoris, quàm ſextertijs trecentis quinquaginta tribus locarint; filiæ verò decies ſextertio nupſerint ad Scipionis inuidiamne

dicam, an gloriam, cuius liberi à Senatu tutore ſuo in dotem æs graue accepe-runt. Deniq. non diſſimulo, quod pudet referre monſtra quædam Romani Imperij Caios, Nerones, Domitianos, Caligulas, Neruas, Heliogabalos, Gallienos, non honorem modo, cultumque Hiſtrionibus adhibuiſſe; ſed eos etiam imitatos fuiſſe ſtudioſius, quam ſpectaſſe: adeòut nulla maieſtatis reuerentia prodirent in ſcenam, totamq. Romani Imperij dignitatẽ excuterent ſaltu, vel manu prodigerent, & vel ipſi Ioui iraſcerentur, ſi quando de Cœlo agentibus mimis obſtreperet.

Hæc ego, Auditores, & his ſimilia iamdiu animo compræhendi, ab ea tamen, quam dico, ſententia ne minimum quidem dimoueor: ſcenicos nimirùm homines non modo in benè morata; ſed etiam in luxurioſa Roma famoſos fuiſſe. Quæ eſt enim iſta ſcenicorum hominum

commen-

commendatio, in Vrbem admitti; & tota mox Italia ſubmoueri? Submouit Tiberius nimis alioqui illorum licentiæ indulgens: Submouit iterum Nero, ille ipſe ab ſcenæ ſtudio Scenicus Imperator appellatus: In honore, ac laude apud Principes verſari; & claros viros, ac nobiles, ſi geſtum vel ſemel agant in ſcena, ad plebem relabi? Relapſus eſt Decius Laberius eques Romanus olim honeſtiſſimus, qui à Caio Cęſare productus in ſcenam, & mox iuſſus ire ſeſſum in equeſtria, prorſus quaſi loco, vndè excidiſſet reſtitueretur, à cæteris tamen equitibus ad ſubſellia replenda coeuntibus non eſt receptus: In amore, ac delicijs eſſe; & tamen Magiſtratibus in eos lege lata omni loco, & tempore ius eſſe virgarum, & carceris, & exilij; Si vel ſpectatorem, à quo exſibilentur digito conſpicuum faciant? Plauſum in theatro ferre; à theatro pulſari, ſi ſpe-

ſtari voluerint? Geſtum, ac vocem immani ſtipendio conduci; & infelicem ictibus faciem locari, vt infelicior venter ſaginetur: quaſi de præcepto Domini diabolus ludens doceat ſuos verberandam maxillam patienter offerre: quemadmodum tragœdos cothurnis extulit, mendacem in eo facturus Chriſtum, quod dixerat neminem poſſe ad ſtaturam ſuam adijcere: Theatra, & Scenas ſumptibus planè regijs ædificari, magnis belluis ampliſſimas caueas; nec multo poſt ingentia illa molimina cenſorum decreto excindi, omnemque ſcenæ apparatum ſub præcone venire? Multos habere domi diſcipulos; magiſtros in foro? Multos per vrbem aſſeclas; interim lege ſanciri ne Pantomimorum domos ingrediatur Senator; ne in publicum egredientes equites Romani præcingant? Multos habere ſuæ diſciplinæ imitatores: dum iuuenes ab

illis

illis non modo adeundis; ſed etiam in theatro ſpectandis edicto Imperatoris arcentur? quale eſt iſtud Romanorum aduerſus ſcenicos ſtudiũ: multare quos amant: depretiare quos probant: artem magnificare, cuius artificem notant? Quale iudicium eſt vt ob ea quis vilis fiat, per quæ promeretur? Immò quàm aperta confeſſio eſt malæ rei, cuius auctores, cum acceptiſſimi ſint, ſine nota, ſine inuidia, ſine pœna, ſupplicioq́. non ſunt? nihil vt verius dici poſſe videatur, quam ab illorum turpi vita, corruptiſq́. moribus abhorruiſſe Romanos vehementer, quorum geſtibus, ac ſaltationibus ad inſaniam delectarentur. Idq́. ſapienti iudicio nequicquam obſtrepente cupiditate prorſus damnaſſe, quod animi quadam ægritudine ſequerentur, cui vel hoc vno remedium relinqueretur, quod turpia amabant quidem; ſed nondum probabant.

Ergò cum ſapientiſſimum Romanorum de Hiſtrionibus, totaq́. ſcena iudicium teneamus;non eſt cur illorũ exemplo quiſquam vtatur ad pręſentis ætatis improbi aduerſus ſcenicos ludos ſtudij defenſionem; niſi fortè ex illorum numero eſt, qui imitationẽ alienę culpę innocentiã vocant;non eſt quo minus ſcenici Adoleſcentes fateantur illorum ſe amare conſuetudinem, delectari congreſſu, oratione allici, ipſo deniq́. aſpectu voluptate perfundi, quorum nihil eſt omnino non humile, & abiectum, non plebeium,ac ſeruile,non obſcurum, non turpe, non flagitioſum: non conditio, non fortuna, non diſciplina, non mores, non vita tota, non nomen. Quæ enim nota turpitudinis non eſt inuſta, quæ corruptionis labes Hiſtrionico nomini non eſt aſperſa? quod dedecus non hæret infamiæ? A militia repelluntur, ad quam cœteri, modò ſint homines

ſtipendio conducuntur; nihil eſt: tribu mouentur; eſt aliquid: ſeruitute damnantur; eſt tamen parum: eijciuntur ex vrbe; non eſt ſatis, ſi ciues inter, & peſtem iſtam nō modo domeſticus paries; ſed ciuicus quoq́. murus interſit, ne vel ſoli, vel cæli communione corrumpere bonos poſſint, & tanquam contagione aliqua vitiare, ſi non ex humanæ naturæ, certè ex Italiæ finibus exterminentur; vt turpitudo tanta, tam noxia tam facilè ſerpens, vel circumfuſi maris fluctibus eluatur, vel vltra Paradiſi huius clauſtra iuga ſemper horrentia proiecta in vltimas, ac barbaras terras relegetur. Et erunt tamen adoleſcentes nec illi quidem aut obſcuri, aut ignobiles, qui ſui, ac generis obliti, omni abiecto ſtudio liberaliore, de iſtiuſmodi hominum conſuetudine inuidiam ſibi, atq́. infamiam quærant? niſi fortè conſuetudo non eſt, & domeſticus propè vſus,

ab ore pendere alicuius; geſtus, ac nutus doctrinæ loco habere, ipſum conſpectum atq́. aditum, perindè ac magiſtri, pretio coemere, complorare; arridere, plaudere, & Chamæleontis in morem ad Hiſtrionum vota colorem, affectumq́. ſumere, ponere, variare, deniq́. nihil habere ſine his aut in vita, aut in vſu iucundum; non eſt ſcenicis hominibus conſueſſe, illiſq́. ſe dare non modo mancipio, & nexu; ſed etiam vſu, & fructu? Proindè viderint Scenę amatores, qua obſcęnę ſcenicę voluptatis abſtinētia, vel potius abdicatione ſuæ dignitati conſulendum putent. Etenim amicorum vt alia pleraq́. ita exiſtimatio communis eſt, & dignitas propè vna. Nam cū omnes ſimilibus, ac paribus delectētur, libenterq́. ſe cum ijs congregent, fieriq́ non poſſit, vt amoris vinculo diſpares inter ſe moribus homines colligentur, quod naturā ſequatur voluntas

potius

potius quã præuertat: Necesse profectò est scenicorum hominum studiosos eodem propè infamiæ incendio conflagrare. Sensit hoc certè Pompeius Magnus solo scenico theatro suo minor, qui cum illam arcem turpissimis hominibus, ac negotijs extruxisset, veritus famam, ac melioris ætatis disciplinæq. censuram, Veneris templum theatro inædificauit, & opus alioqui damnandum templi titulo prætexuit, & disciplinam superstitione delusit.

Sed esto: declinauerit hoc callido consilio Pompeius censoriam in suum theatrum animaduersionem: loci quidem, ac negotiorum, quæ illic gererentur turpitudinem, tanquam inscriptione aliqua pronuntiauit. Veneris nomine theatrum satis ipsius rei conscia antiquitas dedicauit. Quid adhuc expectatis, aut quæritis Auditores? num adhuc obscurum est; aut minus intelligitis,

quam

quam optatis, quid negotij geratur in ſcena, aut quo tandem tum agentium induſtria, & labor; tum ſpectantium ſtudium, & attentio conferatur: cum ipſorum, quos arguimus confeſſione planum ſit, Venerem theatro præeſſe? Nihil tam certum eſt, Auditores, quam theatrum, ac ſcenam publicam eſſe Veneris ſcholam, in qua ſpectatores non modò ratione, & præceptis ad omnem nequitiam, & luxuriem erudiuntur; ſed etiam exemplo, & re ipſa prouocantur. Nimirùm longius erat iter ad ſcelus per præcepta, quam vt ab vnoquoq. confici poſſe videretur; niſi exemplorum compendium ſubueniret; & ſegnius voluptas irritaſſet animum demiſſa per aures; niſi oculis quoq. ſubiecta, vel ingeſta potius vſq. ad nauſeabundam ſatietatem eundē impleſſet, ac propè ſtupore affeciſſet. Huius verò ſcholę placita ſunt, quęcūq. cœteris non placent; quæcumq. rectæ

rationi

rationi aduersantur : ideòque non ciue modo ingenuo sed homine quolibet indigna : deniq̃ue mali magistri malè doceant necesse est. Nulla ibi præscriptio virtutis, nulla rationis moderatio locũ habet : vbi titillatur voluptas, cupiditas irritatur, prouocatur exemplo, studio æmulationis accenditur.

Indigna quidem sunt hac luce orationis, quæ ad theatra in Sole fiunt : & meritò dicere erubescimus, quæ alios spectare non pudet. Ea tamen (opinor) est adhibenda moderatio, vt non modo quid nos deceat dicere, sed etiam quid illos audire necesse sit, consideremus. Est enim perindè, ac speculũ oratio, quo, nisi suarum quẽq. sordium moueat, quis vnquã vtatur? Age igitur, quæ sunt illa tandem, quæ aguntur in scena? fortasse magnus regnator poli, vt fallere castitatem possit alienarum matrumfamilias diuinæ immemor Maiestatis, humanęq.

con-

contemptor dignitatis in belluarum cuiusq. generis degenerat formas: hic quidem de Satyro hirsutus, ibi de Dracone caudatus, alibi de Tauri cornibus coronatus; ne quid ad contumeliam desit, transilit in formicam, & ante voluptatem liquescit: semper tamen causa, quam forma contemptior; quam idem ipse inter vincula fatetur, quas scilicèt amiculas coniugi, quas vxori sorori pellices antepofuerit: & furtiuis amoribus euulgatis insultantem patitur nouercā de exuuijs vtriusq. priuigni. Vel Saturnus albo iam capite, & fronte suis laboribus exarata cum aliena deprænhensus, non nisi iactatis hinnitibus euolat quadrupes. Aut Mars in scelere occupatus non modo conuincitur, sed vincîtur. An dum narrantur, vel etiam repræsentantur in scena fabulosæ antiquitatis Deorum, Dearumq. portentosæ libidines; & ad illarum rerum memoriam, vel

aspectum

aſpectũ reuocantur adoleſcentes, quas altera ætas, vt ſuæ conſuleret famæ ſilentij tenebris occultauerat, non tanquam exemplis via ſternitur in impudentis luxuriæ patentiſſimos campos? Quid hoc eſt aliud quàm vitia noſtra incendere, & exemplis, quaſi flabellis, dormientem ſub doloſis cineribus luxuriem ventilare; auctores flagitijs, vel Deos, vel Heroes inſcribere; & dare morbo exemplo dignitatis excuſatam licentiam? Non erat, opinor, ætati noſtræ ſatis malis ſuis vti præſentibus; niſi aliena ab tumulis euocaret: aut non ſua vnumquẽq. priuatim ſatis cupiditas ad turpitudinem erudiebat; niſi eam publicè quoq. diſceremus; qui ad vitia ingenio, & natura ducimur; laude, exemplisq. incitati, quid faciemus? qui ſponte labimur, quid patiemur impulſi?

Accedit argumentorum improbitati agentiũ impudentia. Ille nimirum ma-

nu um

nuum petulantia gestus fractior, totius corporis mollitudo, facies vndequaq. mendax, siuè cum ætate luctetur, vt qui domi vir est, puer in scena videatur: siuè cum Sole, vt quem ille durius tinxerat, suauius pingat; siuè cum sanguine, quem intus alentem ad summas deriuat genas: ac, ne cum sexu quoq. pugnandum sit, illæ etiam, quæ cum magnam olim pudoris partem priuatim vendidissent, eam tamen sibi fecerant reliquã, vt erubescerent foris, & dedecus suum latebris solarentur, sexum tandem omninò dedoctæ producuntur in scenam, hoc vno miseriores, quod in fœminarum conspectum veniunt, quas penè solas latebant. Sed quibus vnguentis madentes, quibus pigmentis oblitæ, quibus illecebris instructæ? Pudet referre quę dicuntur, pudet accusare quę fiunt: adeò profectò turpia, vt ipsum incubantem theatro aërem scelestis vocibus, tan-

quam

quã densa nube Cimmeriorum halituũ, obducant, aut Solem cogant ad tam infanda luminis sui radios resorbere. Nemo illa persequi potest plenius, quam, qui spectare consueuit. Malo ego non implere, quam meminisse. Quid quæso ex hac schola, his magistris referant; quid inter hæc dicendi argumenta discant adolescentes? quales euadant, qui tam obscœna audiunt, & cernunt; quibus vel leuis cogitatio non leue affert periculũ turpitudinis? Non illa loqui discant, non facere, quæ audire, ac cernere consueuerunt? non id agitur, vt posita verecundia adeò sint ad audendum proiecti, vt nec secreto, nec cum pudore agant, quæ publicè didicerunt?

At enim illæ, quas diximus obscœnitates, veteris sunt scenæ propriæ, vt earum causa nouum theatrum non sit in inuidiam adducendum: cum illas iam-

diù

diù abdicauerit; & ſuas fabulas, etiam quibus iuueniles aguntur, ſeu Heroum, ſeu Paſtorum, ac Nympharum curæ, maiore vt venuſtate, ſic etiam pudore prætexat: vt noſtra iam ſcena,

Ceu feſtis matrona moueri iuſſa diebus
Interſit Satyris paulum pudibunda proteruis.

Audio: ſed neſcio an hoc nomine recens ſcena, quam vetus ſit pernicioſior. Non illa quidem prorſus euoluit, ac retegit, quæ vel ſuburbanus pudor auerſetur: ſed ea tamen tanto inſinuat artificio, & inſtar tranſennæ interlucere patitur, quæ tegit, vt cum plura ſubijciat audientium animis, quam dicat, oſtendatq́. illa etiam, quæ occultat; ipſa tamen obſcuritate, non modo cernendi cupiditatem accendat, ſed etiam voluptatem. Quare quæ proprius admotæ perfudiſſent horrore, vel celeri ſatieta-

te, fastidioq. affecissent; ea procul ostē-sa, nec omninò reuelata, segnius quidem oculos; sed animum tamen multo percellunt vehementius. Muliebrem hanc esse pellaciam, & fraudem quis ignorat, partem oris velare, vel toti velum nihil omninò celaturum obtendere, vt dum specimen potius, quam vultum ostendunt, aspectum, quem ne implent quidem non expleant, sed irritent?

Quid? cum his fraudibus, ac veneficijs accedunt blandæ verborum illecebræ, & suaues sententiarum titillationes, non illi, quam diximus pellaciæ, quasi fucus allinitur, & totius muliebris mũdi ambitiosa suppellex aggregatur, non modo vt scena ametur ardentius, sed pudorem quoq. fallat callidius, dum non rerum ipsarum turpitudo quæri videtur; sed verborum, sententiarumq. ornamenta? An verò ex hoc genere non sunt illæ, quæ non modo scenæ, sed

etiam typis mandantur amatoriæ fabulæ, quarum venena tanto melle condita ſunt, vt ea ne puellarum quidem menſis putentur indigna? Eo quidem plures id malum fefellit, quo altius latet: ſed eo tamen conſtantius repudiandum, quo altius latet: ſed eo tamen conſtantius repudiandum, quo dulcius propinatur. Latent illic inter mella apes, & lambentibus venenũ inſpirant; & ſpongia, quæ tàm blandè attrectat, ferrum tegit, non ſine vulnere recludendum.

Sed noui locum, in quem ſe Adoleſcentes recipiant, vndè ſcenam queant non modo citrà infamiam; ſed etiam ſine omni vitiorum contagione ſpectare. Dicent animum ſe aduerſus huiuſmodi illecebras obduratum in theatrũ afferre; rebus obſcœnis, ſi quando incidant, oculis auribus, totoq́, animo conniuere. Ceterum non pauca ex theatro commoda referri, ob quæ honeſtè

poſſit

possit adiri. In primis verò non parua oratoriæ facultatis adiumenta, quibus, & vox, & gestus, & vultus permutatio, & oculorum coniectus, & corporis totius status, & flexus, & motio ad omnem dignitatem componuntur. Deindè ciuiles artes, quibus mores, & studia, & consilia hominum cuiusq. fortunæ qua præceptis, & doctrinis, qua euentis, exemplisq́. noscuntur. En nouos Vlysses aduersus Syrenarum cantus aurium obstructione munitos. En pectora non ferro præcincta, sed auro, quod ne in fornacibus quidem à flamma circumsessum, quidquam de rigore, habituq́. suo remittat. En homines e silice natos, & inter hyrcanas tigres enutritos, quos hæc humana non tangant. En caucaseis rupibus pręcordia duriora, quæ nulis circęis, seu fœmineis succis molliantur. Scilicèt concrescet inter ignes, cera: & esca flammã ad mittere contumacitèr recusabit: aut nõ

euoluet animus, quod oculi, atq. aures ingesserint. Tam ad scenā isti perstabunt cupiditatibus immoti; quam ab scena discedent oratores. Sanè si sermonis intēperantia, & procacitas linguæ, & oris impudentia, ac turpitudo tanta, vt nullius innocentiæ, aut dignitati, modestię, aut ętati parcatur eloquētię virtutes esse censentur; nullibi melius, Iudice me, discitur eloquentia, quā in scena: ac si vox & pronuntiatio illa demùm est oratoria, quæ fœminea gracilitate frangatur, extenuetur delicijs, mollitudine diffluat ac euanescat: si oratorem manu plura loqui decet, quàm lingua, & argutijs vti digitorum, ac propè micare, blandiri oculis, vultuosum videri, & corpore demùm toto bacchari, quamdiù tecta ista personant, & nostræ obstrepuntur aures vocibus oratorum, nec in theatrum omnes, qui ad oratoriam exercemur, magno laboris compendio immigramus?

Sed plurimum (opinor) intereſt inter oratorem, & ſcurram; nec quicquam tam alienum eſt ab eloquentiæ dignitate, quam mentita illa ſcenæ maieſtas, & ſub magna quoque perſona ludibunda vernilitas. At politia certè, & omnis tùm priuatæ, tum publicæ rei gerendæ ratio in theatro diſcitur. Hoc vero mihi ſanè mirum videatur, ſi ſuam quis ibi vitam inſtituat, vbi de aliena ludunt, quorum vita omnis eſt ludus. Scilicèt ab amatorijs fabulis ſurgat Adoleſcens melior, aut ad dubios vitę caſus inſtructior, quarum quidem exitus coniugia eſſe ſolent, tanto iucundiores, quanto ipſa magis inopinata fuerint, atque improuiſa. Vtpotè quorum cauſa ſit nō conſilium in virtute, aut fortuna coniugum exæquanda: ſed vel cæcus amoris furor, vel contumax aduerſus repulſas conſtantia; vel fœdæ lenonum artes; aut philtrorum violentia, aut demùm

diuturni erroris repentina, & tamquam de Cœlo detracta explicatio. His (opinor) artibus excoluntur Adolescentes ad scenam, quibus amorem emereantur, & in familiaritatem se se, atq. vsum insinuent alicuius, vt suam prodigant pudicitiam, alienam expugnent, eo cautius, quo pluribus pręsidijs obuallatam. Deniq. delectari volũt spectaculo Adolescentes non erudiri; voluptatem in theatro quærunt, non vtilitatem.

Non agam cum huiusmodi Adolescentibus summo iure, Auditores: non dicam id, quod debeam forsitan obtinere, eos, qui velint in litterario cursu cum laude versari, voluptati omnino bellum indicere debere; neq. fieri posse, vt animus, quem amatorię illæ deliciæ, & inertissimæ amentium potius, quàm amãtium cogitationes emollierint, hoc, quidquid est laboris, quod discentibus hauriendum est, sustinere possit. An ve-

rò

rò aliam vos esse causam vllam putatis, cur in tantis bonarum artium, ac doctrinæ premijs, tanta voluptate cognoscendi, tanta laude, tanta gratia, tanto honore, tam sint pauci, semperq. fuerint, qui in hoc curriculo strenuè versentur, & diù? Omittendæ nimirùm sunt omnes voluptates, nec modo delitiæ; sed multa quoq. vitæ commoda abdicanda ludus, iocus, conuiuium, sermo etiam penè omnium familiarium deserendus; quibus rebus adeò discentium ætas addicta est, vt ægrius illis pleriq. careant, quàm doctrina. Non ego hac vtar ad mei similes oratione: non in diuersum Adolescentes à natura sua ducam. Deserta illa via, & inculta, atq. interclusa iam frondibus, & virgultis relinquatur: detur aliquid ætati, sit adolescẽtia paulò iucundior: non omnia voluptatibus denegẽtur; dum non adeò sint delicati, vt operosas illas theatrales delicias de-

 poscant

poscant, nec adeò abiecti, vt ab honestate seiunctam ament voluptatem, nec adeò turpes, vt nullibi libenter præterquam in cæno volutentur. Quasi verò minimè hoc dederit prouidentia hominibus munus, vt honesta nos magis quã turpia recrearent.

Ac si tantus est spectaculorum amor, vt sine ijs nihil iucundum esse videatur in vita: quid tamen necesse est, aut quæ politiæ cognoscendæ ratio persuadet illa adire, quæ cum minimum erudiant, delectent parum, plurimum dehonestant? Prouoco vos ego, Auditores, ad theatra, in quibus cum iucundius sederitis, tamen multo indè non modo prudentiores, sed etiã meliores discedetis. An sacris litteris, ac doctrinis operam datis? Non tot ibi scenæ, quot sacrorum voluminum paginæ? Videas hic quidem Deum admirabile hoc orbis theatrum molientem rerum multitudine,

ne, ac varietate conſpicuum: Sed nihil æque ſuſpicias, ac molitoris potentiam de re nulla quidquid eſt rerum facientem, nec tamen aliud, quam verba perpauca in tanti operis conſtructione oppignerantem. Ibi hominem nunc lateritium, ſtatim viuentem ſpirantemque, mox etiam quacumq. patet orbis cæteris quibuſq. animantibus imperantem: mox regno pulſum, & patria cibos, cum terra ſuis ſudoribus paciſcentem: alibi flagrantem vbiq. libidinem, & mox omnium terrarum eluuione reſtinctam; iuſta naufragia impiorum. Vnus Ioſephus nobilem Tragicomœdiam dabit; ſed ampliorem tamen populus Iudaicus vniuerſus in priſtinam à Moyſe libertatem vindicatus. In hoc ſuas Ethnicis Metamorphoſes non inuidebis; meridianas tenebras; flumina ſine vulnere cruore ſtagnantia; ranunculas regum contubernales, & conuiuas; locuſtarum

exer-

exercitus victores terrarum; Regnum amplissimum nocte vna funestatum spectabis. Comitare non iam fugitiuos seruos, sed triumphatores opima de Aegypto referentes, currumq. in auia ad nuncupata vota soluenda deflectentes: Videbis marinos fluctus secedentes, & concretis vtrimq. aquis vallatus bibes.

Altum de rapido gurgite pulverem.

Nec inuidebis, aut Græcis Tantalum in vndis siccum: aut Persis intonantem Aegeo Xerxem, & fremẽtem sub ferratis vnguibus pontum, tanquam Neptunum alterum virga cædentem: aut Romanis constratum classibus Oceanum; ad toto diuisos orbe Britannos inuisendos, belloq. tentandos. Spectabis montes, & colles quacumq. Iudaicus populus ingrediatur saltu se instar arietum ad explicandum iter proripientes; Ior-

danem

danem refrenatis aquarum agminibus ficca veftigia reuerentem: marmora in potum fe fe fundentia; de Cælo defcendentes fruges; prædas ventis aduectas; folem pugnantibus obfequentem; mœnia clamore ruentia; victorias dormientibus partas. Tragediæ nufquam deerunt. Apotheofes quæris? Eliam intuere, non iam, vt Moyfes, viatorem æquoreum, fed âereum afcenforem flammeo curru in Cœlum euectum. Sed amas pugilatus, & agones. Videbis alicubi fidem cum igne luctantem; alibi religione vnguibus, ac dentibus exarmatas feras; deniq. infenfum humano generi hoftem, noftræq. falutis oppreflorem ad Chrifti reparatoris pedes proftratũ profligatumq. Quam funt hæc decora fpectacula, quam iucunda, Auditores, quantæ vtilitatis, ac frugis? Non hæc

Omne ferant punctũ, quæ mifcent vtile dulci?

At

At placet philosophari. Num mundus vniuersus satis tibi amplum ad spectandum videtur esse theatrum? Num satis multiplex scena? Sol vnus quam mirè distinguit, ac variat: nunc ortu reuocat diem, cuius pulchritudinem, ne diuturnitate fastidias, mox extinguit occasu, cum eidem interim accensis ex aduerso funalibus parentet nõ obscurè: nunc accessu ornatum agris, herbis, & arboribus fruges, Cœlo risum inducit; sed eadem cum recedit in sordibus deserit, ac squalore. Humanas comœdiæ ætates non inuidebis, si annum, mundumq. ijsdem mutari intellexeris. Intuere Lunam temporum cursus incrementis suis, decrementisq. signantem; Astrorum choros in scenam vicibus prodeuntes; Terrę molem suo pondere libratam; Oceanum illi interfusum; aerem vtriq. citcumfusum tenuitate sua cuncta vegetantem; Nunc imbrem con-

tractis nubibus profundentem ; Nunc obtendentem Cælo velum, nunc reparata raritate perlucidum. Cerne in singulis istis plagis incolas proprios: miraberis profecto incredibilem agentiũ varietatem. Quod theatrum humanis manibus extructum diuino huic templo conferri potest, magnis licet transmarinorum lapidum molibus sit extructum? Crusta sunt montium, & quamquam aurum inuras, Astrorum fulgore vincentur: nunquam hnmana mirabitur, aut amabit, qui hęc diuina fuerit contemplatus.

Sed humanioribus etiam nunc occupatus disciplinis grauiores istas, nec dũ attigisti doctrinas. Equidem nescio, an plura vsquam spectacula, quam tuis in theatris exhiberi possint. Historia quantacumq. illa est, non tui iuris est tota? aut non illa est Comœdiarum omnium, ac Tragœdiarum seges, ac sylua? quid si etiam theatrum? Imperium totius orbis

bis, ſatisne magna, & cothurno digna videtur eſſe perſona? Illud ſpecta apud Aſſyrios natum, à Medis ſuſceptum, apud Perſas educatum, in Macedonia iuueneſcens, viribus ac dignitate maturum Roma: quos ſimul errores, quas fraudes, quos nodos, quas ſtrophas, quas cataſtrophes recognoſces, ſeu publicas, ſeu priuatas? Hæc ſunt Auditores digna veſtris auribus argumenta, digna oculis ſpectacula, exempla digna memoria, quæ animum tanto acrius voluptate percellant; tantoq. melius ad omnem fortunam inſtituant, quanto obſcœnis illis, fictiſq. fabulis veriora.

Panegyris dicta BEATISSIMÆ VIRGINI Deiparæ ſine labe peccati conceptæ.

NON paucos, nec rarò audiui, Braydenſes, huius etiam ætatis homines, qui exterum illum Thracum, & Gaditanorum morem, flendi ſcilicèt in natali cuiuſq. hominis die non probarent modo, verum etiam verbis ampliſſimis nobis commendare conarentur; Indis neſcio quibus ſapientibus

tibus Gymnosophistis, & Brachmanis, qui auctores essent, vocatis, qui eum morem dicerentur perpetuò coluisse, quorum mihi hominum non modo opinio, sensusq́. displicet; verum etiam vita. Sunt enim illi plerumq́. ex eorum numero, qui vetera semper laudant, nec sua quidem, aut auorum; sed quæ iam penè omnium obliuione sepulta sunt: qui ideò longinqua demissè admirantur, vt præsentia fastu maiore contemnant: & aliena præferunt nostris, vt nobis ipsi præferantur: tantoq́. sapientiores videantur: quanto longius recesserint à consuetudine, sensuq́. præsentis ętatis. Quasi verò non illi sapientes sint qui meliora, quam vulgus sentiant, & agant, non qui contraria. Sed profectò vt in plerisq́. sic etiam in hoc dum penitioris cuiusdam Philosophię laudem aucupantur, id consequuntur, vt ne limen quidem videantur attigisse. Hoc enim

propositum

propositum Philosophiæ primum est, vt secundum naturam viuamus. Quid porrò naturę magis contrarium reperiri potest, quam quo die primùm lucem aspexeris, eius diei lucem inuitis ac mœrentibus oculis intueri, quos eius vnius cernendæ gratia singulari naturæ beneficio accepimus. Ergonè lugere homines poterunt, quod lucem hanc videant, cæli gloriam, solis filiam, astrorum mentem, orbis vniuersi animam, risum äeris, terræ pulchritudinem, pulchritudinis non solum indicem, iudicemq́. sed etiam formam, rerum omnium colorem, colorum vitam, oculorum delicias, artificem voluptatis, lucis illius immortalis vmbram, ac demùm primordià æterni artificis admirabilem hunc orbis ornatum molientis? Ergò nè flendum est nobis quod sumus? quod viuimus? an quòd homines sumus, quòd rationis, virtutisq́. participes, atq́. adeò immortalita-

talitatis? non ideò, opinor; vt enim nemo eſt, qui ſe quam beatiſſimum eſſe non velit; ita nec qui ſe nolit eſſe, aut eſſe id, cui benè eſſe; & optimè eſſe conueniat. Quid igitur in natali flendum eſt die? hoc opinor, quod hac conditione nati omnes ſumus, vt miſeri viuamus; an etiam vt moriamur? (parum enim opinor intereſſe quis eſſet ingreſſus, & curſus vitæ, ſi modo honeſto, feliciq. exitu clauderetur, eiuſq. nobis fructus in ſempiternum tempus conſtaret) Prorſus ita opinantur, hoc dolent: hoc eſt quod lacrimas non modo recens natis, ſed etiã adultis elicit. Quòd eo primum die calamitatibus, quòd ærumnis, quòd morti nati ſunt; quòd fortunæ, quòd inuidiæ, iniurięq. quòd temporis, & ætatis, quo demùm naturæ ipſius ictibus obiecti. Tantumnè eſt in hac vita miſeriarum, vt viuentium nullus nunquam non ſit miſer? tam ſeuera,

&

& luctuosa hæc est tragœdia, vt nullus in ea actor non doleat, non queratur, non ingemiscat? sanè si Gymnosophistæ, & Brachmanes affirment; ferendi erunt. Quid enim illis vnquam non miserum contingere potest in vita, qui nudi ætatem agunt in syluis, nec modo caucasi niues, hyemalemq. vim, & feruentes oræ indicæ arenas; sed etiam admotas corpori flammas sine dolore, ac gemitu perferre, digna suo Prometheo suis crucibus disciplina assuescunt. Nunc eum nobis morem commendant ij, qui meliore cælo nati, nec omnes, nec semper miseros esse, & vident, & fatentur; qui duplicem vsurpant fortunam prosperam, & aduersam, qui non omnes dies atro notant lapillo; qui ridentes multos vident, nec ipsi audiunt Heracliti. Et verò vt terrarum aliæ alijs beatiores, quędam cęlo semper amico vtentes, & extra ventorum, & tempestatum

iniurias in veris, vt ita dicam, ſtatiuis poſitæ, floribus perpetuis vernant; quædam infeſtum, & implacabile cælum nactæ ſunt, in quibus quidquid flauerit, aquilo eſt, quidquid malus Iupiter pluerit, glacies: pleriſq. per vices iraſcitur, & arridet: ſic etiam hominum, alij ſemper vſq. adeò beati, & florentes ſunt, vt non fortuna modo vti ſecunda, ſed eius fixiſſe rotam videantur. Adeò nihil vnquam triſte, nihil aduerſum ſolet ipſorum rationibus accidere: Alij ad hoc videntur à natura facti, vt fortunæ ictibus obijcerentur; ita aduerſis ſemper ventis nauigant, & in omnes ſyrtes, ac ſcopulos vi quadam tempeſtatis incurrunt: pleriſq. tamen ita miſcentur triſtia lætis non modò vt varietate temporum, fortunæ viciſſitudine, & ipſarum rerum commutatione alternè doleant, & lætentur: ſed eo etiam vehementiùs, quòd vel calamitatem felicitas, vel felicitatem

citatem calamitas excepit. Nisi fortè aliquis tam solers suæ fortunę faber existit, vt eadem rerum, ac fortunæ commutatione, non modo ad virtutem, & nominis immortalitatem vtatur; verum etiam voluptatem. Quare si adeò neq. omnes, neq. semper miserrimè agunt, vt & quidam perpetuo lætentur, & pleriq. nec maximas, nec ita multas miserias, multis vitæ commodis, ac voluptatibus solentur; quid tandem est, quod in natali cuiusque die, eius ipsius causa tam miserè flendum videatur ijs, qui vitæ fructu iam cum lætitia, & voluptate fruuntur? qui nihil tam serio agunt, quam vt eandem, quam diutissimè possunt, retineant; nihil æquè ac mortem timent, & perhorescunt? an ægrè accipiendum est id, cuius possessio tam iucunda est, amissio verò multo molestissima? profectò necesse est risu plusquam Megarico, hoc est, Sardonio prosequã-

 tur

tur decedentes è vita , qui venientes lacrimis excipiendos putant.

Nos verò, si quidem maiorum nostrorum sapientissimorum hominum non pudet, eorum instituta teneamus: etenim natalem diem plurimis lætitiæ argumentis celebrandum non modo Persæ, aut Græci in plerisq. paulo fortasse religiosiores; sed etiam Romani tradiderunt. qui quo die fundameuta vrbis iacta sunt primum, eo die adeò communem in vrbe esse lætitiam volebant, vt ne hostiam quidem gemere, aut cædi ad Deorum aras paterentur. Nec minor priuatim erat singulis natalitiorum dierum religio. Etenim persuasum omnes habebant plurimum in eo esse momenti ad negotia feliciter gerenda. Vana atq. inanis, hæc quidem erat Religio. Vana. veruntamen quod primum ad hanc lucem aditum eorum præsertim, qui communi Reipublicę bono nascerentur non

minore

minore lætitia excipiendum senserunt, quam dolore discessum, rectè iudicauerunt. Quia iam tum eius ipsius vtilitatis pignus accipitur, & futuræ propediē frugis lęta iam seges herbescit.

Qua de causa illorum non modo natalis dies, sed ipse etiam satus, & conceptus, si fieri possit, communi lætitia celebrandus est. Etenim iam tum ortum habuit, ac natum est id, quod aliquanto post proferetur in lucem, tanto iam pluris faciendum, quanto secretius, diligentiusq. naturę consilio custoditur, nec modo totius dimidium, sed auctore Platone ipsum totum vindicat sibi, qui rectè inchoauit. Quo mihi diuino quodam consilio fecisse Mater Ecclesia videtur vti Santissimæ Deiparæ, cuius infinita extant in humanum genus beneficia, nō ortum modo clarissimum, sed etiam omnis expertem labis conceptum summa religione, ac lætitia coleremus. Etenim

si amicæ lucis volucres non modo naſcentem ſolem iucundiſſimo excipiunt concentu, & iam prçſentem officiosè ſalutant : ſed eius etiam prima præcurrentis lucis crepundia contentiore cantu renunciant, ſiuè id agãt, vt dormientes mortales excitent, ſiue vt procul agentem ſolem inclament, vel increpent tarditatem, vel quod vero proprius eſt, vt ne feſtinatum beneficium ſera gratulatio compenſet: qua quçſo mortalibus feſtinatione opus eſt, cum Mariam æterni ſolis auroram, & immenſi illius luminis creperam lucem, quibus poſſunt laudibus venerantur, vt nè ſerius, aut cogitari beneficium, aut gratia referri videatur? Iacebat orbis in tenebris, non quibus poſt diurnam ſolis vſuram magno ſuo commodo quotidie obuoluitur, vt curis, ac laboribus exſoluatur; quibus extinguitur dies, vt gratior reuiuiſcat, & lumen illud expungitur, cuius, vt poſ-

ſeſſione

ſeſſione nemo beatus; ita nec amiſſione fit miſer: ſed ijs in quibus cum vixeris animo cæcus es,adeoq́.miſere perditus, vt ne poſt huius quidem lucis tenebras ſpes vnquam vlla oſtendi poſſit eius luminis, cuius vnius aſpectu poteſt humanus aliquando animus felix eſſe. Has ego tenebras dico ſummam Dei, diuiniq́.cultus ignorationem,quam poſt huius vitę decurſum malorum omnium cumulus comitatur, vt qui bonorum omnium fontem adire noluerunt, miſeriarum flumine obruantur. Has orbi vniuerſo offuſas tenebras, nec alius accendere ſol poterat, quam qui inacceſſam habitat lucem; nec ille aliter irretorto ab hominibus oculo ſpectari, quam nitidiſſima virginei ventris nubecula, quaſi velo quodam obtentus. Hac cum ille tectus è ſummo cælo perindè, ac ſponſus è thalamo egrederetur ad mortalium caliginem illuſtrandam; non æ-

quiſſimum

quissimum fuit mortales in præuios solisferæ nubis fulgores oculos intendere, nec modo iam adultos; sed illorum quoque primordia venerari. Qui ad boreā procul ab annuo solis cursu degunt, ideòque solem hybernis mensibus nunquam vident; vbi reuersionis imminet tempus superatis montium cacuminibus, & consuetis, vt ita dicam, terræ finibus eidem in Cœlum occurrunt, vt primos illius splendores indè tamquam è specula obseruatos, iucundo vocum, fidiumq. excipiant concentu: nos primum Soliparæ Virginis in orbem terrarum ingressum non summis laudibus efferemus, summo studio prosequemur? sera mihi credite, Auditores, nostra erit gratulatio, si quam Deus ab omni æternitate adamauit, rerumq. vniuersitati non anteposuit modo, verum etiam præposuit; cui illæ Deo finitimæ naturę omnis concretionis expertes, adhuc in

matris

matris vtero latenti ambitioso famulatu præsto fuerunt; eam nos non nisi multis post mensibus Reginam salutemus? Minora sanè flumina, non nisi adulta, & longo errore iam fessa nomen aliquod consequuntur: illustrium tamen hic honor, vel ipsi defertur fonti, vt nomen, ac decus à capite arcessant: an verò Maria flumen illud maximum non est, cuius deriuationibus terra, quacumq. patet, irrigatur, & verò etiam conseritur: cuius impetus cœlestis, quam interfluit Ciuitatem summi rerum omnium moderatoris aulam lætificat, ac replet? eius igitur non modo apertæ per agros fluxiones, sed tacitas quoq. nec dum effusas à fonte aquas, fontali propemodum corona dedicemus.

Ac ne quis vestrum, Auditores, vulgare aliquid, aut exiguum dici putet, cum Mariam hodierno primum die materno in vtero conceptam commemoramus:

mus: hæc illa est puella, toties mundi iam propè depositi, & in æternis sordibus ingemiscentis, precibus, ac votis expetita; toties sacrorum vatum oraculis prænunciata, toties non rudi quidem penicillo, sed alienis tamen coloribus adumbrata: quinquaginta fermè seculorum opus, quæ à mundi cunabilis ad eius vsq. cunas effluxerunt; quo in opere eius brachij potẽtia oppignerata est, cuius digiti in vasto rerum omnium molimine luserunt; & diuina molitoris sapientia non vt in ceteris rebus expressa, aut ostensa est; sed etiam impressa, & repræsentata. Sed auertamus, quæso, cogitationem ab exiguo illo corpusculo: illud enim cum non minus, quàm cetera certas per ætates mutetur, ac vigeat, eo nunc minus habet laudis, ac dignitatis; quo ætatis penè nihil: in eo tamen tanta paulo post pulchritudo efflorescet, vt splendore suo cuilibet formæ labem,

ac tenebras ſit allatura. Animum intuemini, Auditores, iam nunc magnum, iam nunc adultum, iam omnium virtutum integro, atq́. illibato decore admirabilem, omniq́. laude, ac prædicatione maiorem. Quæ enim tantæ gloriæ par oratio poteſt inueniri, cui nihil eſt in diuinis operibus, quod aliqua ſaltem ex parte conferri poſſit? etenim earum virtutum, quarum elegantiſſimis coloribus Deus ſanctiſſimam hanc Virginem, quã ſibi iampridem deſtinauerat matrem, ornandam ſuſceperat prima lineamenta aliorum omnium perfectis, & manu extrema elaboratis imaginibus tanto interuallo pręponenda ſunt, quanto ſolet ſtellarum integro lumini reuertentis lunæ, ſplendor anteire, vt non immerito Regius vates prima diuinæ huius vrbis fundamenta crediderit in Sanctorum montium verticibus fuiſſe conſtituta. Et meritò ſanè: neq́. enim reli-

quorum hominum ſimilem illam eſſe oportebat; Sed Dei, qui illius erat non adoptione, ſed natura filius futurus. Quare ſummus ille rerum artifex, ac moderator Deus in hac vna ſuæ Parentis anima conformanda ſingulari quadam ratione ſe ipſo vſus eſt exemplari, & meliore quodam pollice in opus incubuit, omneſq. artis in id vires, ac delicias contulit: vt & nemo illam ſibi præter ceteras valdè affinem eſſe, & conſanguineam dubitaret, & eſſet quod in arce rerum humanarum poſitum citra periculum defectionis à primo exemplari, imitandũ omnibus proponeretur.

Quamobrem hęc ſtellis mens purior, & tot exquiſitis affluens ornamentis, non ita in corporis contubernium illapſa eſt, vt illi aliqua ex terrena cõtagione decoloratio, vel labes adſpergeretur: ſed vt puro, & micanti auro ſaphirus, aut adamas purior inoleſcit; ſic illibato

corpori

corpori castissimus animus diuinis manibus est inditus, nulla vt Conceptę Virgini communis macula generis adhæresceret. Obfuerit cæteris omnibus vnum illud communis omnium parentis, ac generis humani propagatoris perniciosissimum crimen: gratiam corruperit diuinæ adoptionis contumax filius, & hæreditatem planè regiam diuinæ similitudinis, & æternæ pretium felicitatis ad nepotes transmittendum decoxerit. Infuderit se se à capite in membra reliqua mortiferum virus, & vitiatæ semel radicis pestis ramos omnes corruperit. Quid ego etiam nunc irrito labore contendo tantæ cladis magnitudinem verbis exæquare? vincimur malo, premimur mole originariæ culpæ, non modo cum viuimus, sed etiam cum dicimus. Funestamne dicam facem, quæ à nostri generis auctore primum accensa, latissimè in totũ postea genus deflagrauit, æterno id

etiam

etiam incendio consumptura, nisi sacro fonte restingueretur? An rapidum fluuium alueo maiorem suo, superfusum ripis, prementem valles, innatantem campis, subruẽtem montes, syluas sternentem, mœnia diruentem, vastantem omnia, æquantem, rapientem, vnoque gurgite permiscentem? nondum vim eius pestis diceudo consequimur. Nam ignis quidem post corruptas incendio segetes, populatas syluas, diruta ædificia, facile interuentu fluminis abrumpitur, & insistit; vel pabuli inopia desæuit, & tamquam bello confecto, patrataque victoria cadaueribus, cineribusq. victarum rerum immoritur. Fluuiorum autẽ moles, & ruinis in verticem elati gurgites, vbi de cælo procella detonuit, sorbentur, & ad humiles mox arenas deducuntur, cum interim minas, non minus excitatas, quam positas rideret.

Plurimi etiam ignorarent, ad quos ne ex itinere quidē fluuius diuertere vnquam solet, aut in eorum agris peregrinari. Ne illa quidem vniuersalis, & absoluta terrarum omnium eluuio, quadraginta dierum, ac noctium tempestate à Deo excitata, ad flagrantem vbiq. mortalium libidinem restinguendam, orbemq. scelestis habitatoribus purgandum, ita nihil reliquum fecit, vt non modo plures homines, sed etiam belluarum cuiusque generis singula paria non ad sobolem seruarentur. Primi verò, ac patrij criminis, seu venenum perniciosius, seu importunior pestis, seu flamma vehementius, seu concitatius flumen adeò latius manauit ad posteros, vt nec generis celsitas, vel ipsi Cælo sanctitate finitimæ exuperantium vndarū altitudinem vincere; nec rigata Christi fontibus, ipso-

rumq́. parentum lacrimis vita, serpenti in liberos flammæ interuenire; nec festinata, eademq́. diuturna illorum, qui scelus admiserant pęnitentia pręsentissimū alioqui ceterorum criminum antidotum vim potuerit veneni superare. Itaq́. omnes corripimur morbo, inuoluimur flumine, incendio conflagramus. Inuisæ stirpis præiudicio prius damnati, quam nati, odio prius, quam proprio sceleri obnoxij, exhæredati, ab vteri obscuro quidem, sed innoxio domicilio in ærumnosissimas Inferni carceris tenebras transcribendi. Deniq. nascimur mortui, corruptoris potius communis omnium parentis, quam propriæ liberi; nisi forte parens non est cuius quisq́. nascitur iuris; aut misera hæc vita æternæ felicitati comparata, non est mors potius dicenda, quam vita.

Sed pessimè ab Adamo abierit dotatum humanum genus vniuersum; vt non

modo

modo seruitute mulctati omnes, sed etiã supplicio, mortiq. addicti venirent ad vitam, & primo cum spiritu venenum haurirent. Ad hanc tamen felicissimam Virginem, cuius primum materno in vtero natalem colimus læti, nec patrij criminis societas, nec contagio vlla peruenit: fuerit illa humanę arboris ramus, à communi stirpe propagatus: ea tamen sub arbore malo iam tum cum communis omnium parens veteratoris serpentis astu decepta est, singulari communis reparatoris prouidentia, & charitate ab interitu, & labe vindicabatur: ne cuius pudorem illibatum adamauerat, eius infici animum, & quasi primum ætatis florem delibari pateretur. Superfuderint se se editissimis etiam montibus illæ criminum non vltrices aquæ, sed altrices: hęc tamen arca ipso auctore Deo, imò, & architecto ædificata felicissimè enatauit. Consumpserit ligna

reliqua fœdiſſimum originarij criminis incendium: hunc tamen circa rubũ adeò flamma luſit innoxia, vt ne colorem quidem ab incendio retulerit.

Debebat id ſuo generi Maria, vt eadem, qua ipſi maiores, cõditione naſceretur, culpæ ſcilicèt obnoxia, & ſeruituti; nec modo ab hæreditate reiecta; ſed etiam à pignore, ac pretio hæreditatis. Etenim quod humanis legibus cautum eſt, vt ventris fortunam proles ſequatur, & ſeruorum filij nomine modo ſint liberi, non ab alicuius hominis voluntate; ſed ab ipſa natura profectum eſt, cuius non euerſor, ſed cõſtitutor eſt Deus: at viciſſim id ſuæ Chriſtus debebat matri, vt à fœda illam culpa, & ſeruitute liberaret, ne eodem, quo dictum eſt, iure ipſemet Dei filius, & nocens, & reus, inuiſus Patri, Cacodæmonis mancipium, ac præda naſceretur. Quid hac re vel auribus iniucũdius, vel horribilius animo

mo dici poteſt Auditores? iampridem ſacrorum Vatum teſtificatione denunciatum voluit hominibus Deus veram quidem,ſed tamen mancam,quam idem ipſe mortalibus impartitur ſapientiam in maleuolam animam non intraturam, nec in corpore ſubiecto peccatis domicilium habituram. Quid porrò de ſe ipſa diuina, & increata ſapientia intellectum voluit? quam indignius eſt illam vtero aliquamdiu ſcelere aliquo inquinato affuiſſe? laminam, in qua Dei nomen inſculpendum eſſet, ex auro puro puto oportuerit duci: ipſum verò Dei verbum in litura,vt ita dicam,ſcribi non indigniſſimum fuerit? Matrem 'delegerit ſeruitute mulctatam, qui & omnium Dominus audire vellet, nec tamen irritum eſſe, quod multo ante voluerat ratum, patrem honoratum gloriam eſſe filij; nec illam mendacem maternæ pulchritudinis prędicationem: *Tota pulchra*

es, & macula non est in te? Parentem ille suam, tam turpi labe infici sit passus, qui ceteras apud liberos summo esse in honore voluerit? An ex æternitate

Mundũ mente tulit, pulchrũ pulcherimus ipse

Non item matrem, quę vel hoc vno gloriatur, & gratias agit, quod ante mundi constitutionem electa sit, vt sancta, & omnis expers labis diuinis oculis appareret? An illum matri splendorem denegandum putauit, quem contulit multis; omnibus scilicèt beatissimis mentibus à terreni corporis contagione sciunctis, vt omni prorsus vacaret criminis labe? aut illam sibi gloriam ademit, quam detulit Prothoplasti, vt ex illa primum materie constaret, quæ nondũ pœnæ, aut maledicto subiaceret? Nihil itaq. sanctissimæ huic Virgini obesse potuit genus; nihil primorum crimen parentum

rentum, nihil pestis illa per auorum traduces ad posteros serpens, nihil mulcta nepotibus dicta, nihil demum ius ademptum hæreditatis: nihil inquam obesse isthæc Deiparæ potuerunt; cuius erat filius naturæ Auctor, generis constitutor maleficij totius iudex, & mulctę irrogator. Nisi fortè eximere pœnæ non potuit Matrem, qui addicere potuit vniuersos, & ei legi cum vellet, derogare, quam idem ipse rogauerat: aut indemnatam noluisse matrem putandus est, à qua id accepit, quod absolutioni ceterorum impendit: aut eam quoq. non nisi damnatam absolui decuit, quam omniū confessione constat absolutam prius fuisse, quam natam: aut demùm integrum, & verò etiam præclarnm est Cæsari suas cum Augusta immunitates, ac decora communicare; id verò honoris à Christo Augustissimæ parenti haberi singularius censetur esse, quam vt hu-

mana id conditio pateretur: quasi verò non ab eo quisq. plura possit accipere, qui donare largius possit: aut in hoc vno matri beneficio largiendo fuerit, qui cetera in illam omnia, præter consuetas naturæ leges, effuderat. Non illa in hac vna Virgine acciderunt noua, singularia, omnibus retro seculis inaudita, & tantum non incredibilia? cum Virginis dignitate, coniuncta fęcunditas matris, cum integritate conceptus: partus sine dolore; mors citra omnem corporis vel ægritudinem, vel dissolutionem; perpetuus vitæ cursus sine omni, vel leuissimi criminis offensione; nullus cupiditatis aduersus rationem impetus; ne motus quidem; sed tanta planè consensio, vt nec appetitus illam præcurrerent propter temeritatem, nec propter pigritiam, aut ignauiam desererent, essentq. tranquilli semper, omniq. animi perturbatione carerent: ille demum ex commu-

ni

ni humani generis incendio relictus fomes ita penitus extinctus; non modo vt ſcintillas vibraret nullas; ſed ne fumum quidem exhalaret. Cum hæc inquam ornamenta ita in Mariam collata ſint omnia, vt à communi lege diſcederetur; dubitabitis propter magnitudinem beneficij, & diuinæ legis ſeueritatem, num illud quoq́. ad hæc acceſſiſſe putandum ſit, à quo neceſſe fuit cetera, tamquam à fonte proficiſci? Quis enim quæſo Chriſtianorum non aliquando didicit puerperij laborem, ac dolorem, mortem, quæ ab ægritudine accideret, corporis diſſolutionem, illam quam experimur omnes, & patimur illibenter inteſtinam ſeditionem, bellum pluſquam ciuile, illum inquam appetitionū impetum aduerſus rationem; culparum omnium, quas ipſi in horas penè ſingulas contrahimus frequentiam tantam, eius eſſe criminis pœnas, quod à primis parentibus admiſſum

transmittitur ad nepotes? nemo itaque satis æquo iure contendet consciam, ne dicam participem eius criminis fuisse, quam non fuisse pœnę fatentur vniuersi. Nec vllius satis sibi mens, & oratio constabit, qui cum id, quod nemo dubitat concesserit, rem indignissimam fuisse Deiparæ summam secundum Deum maiestatem, vel leuissima culpæ labecula deformari; multo esse neget indignius turpissima illa originarij criminis macula fœdari, qua diuina humani animi species, ac pulchritudo non obscuratur modo; sed adeò funditus deletur, vt à suo deinceps artifice repudiata sempiternis tenebris addicatur. Nemo deniq. dubitabit, quin hac mente iam tum denuntiatum sit tartareo serpenti primæ omnium parentis corruptori, primiq. criminis architecto, futurum aliquando, vt ex ea ipsa muliere, cuius leuitati subrepserat ad genus vniuersum veneno perden-

dum, alia quædam eius aduersaria prodiret, quæ non modo reliquum serpentis corpus; sed ipsum quoq. caput elideret.

Sed quid ego tamdiu ita disputo, omnia generis, ac naturæ vitia, fuisse in hac vna sanctissima Dei Parente fructus, ac sobolis dignitate compensata? quasi verò vel ex ipso Annæ parentis nomine, quod gratiam sonat, id planè non constet, ortum sanctissimæ Deiparæ gratia magis, quam natura constare: eamdēq. gratiam primum sibi hoc in diuino opere locum tam certo iure vendicare, vt illius multo verius, quam naturæ dicendum sit. Ergo generis, ac naturæ vitio laborarit; Dei odium, & offensionem incurrerit; debuerit pœnas, quę parentem nacta sit gratiam? aut plus illa virium, studijq. ad perdendum; quam ad seruandum ista contulerit? singulare beneficium quod ante orbis constitutionem æterna Dei prouidentia destinauerat,

vis

vis aliqua maleficij potuerit anteuertendo deprauare? quasi verò obscurum adhuc esse possit, aut minus certum diuinum illud Dauidis oraculum, quo Deum ad beneficium festinaturum pollicetur, *dum turbabitur terra, & transferentur montes in cor maris. Adiuuabit eam Deus mane diluculo.*

At enim purus, & integer singularis ille è Dei manibus animus prodibat ad lucem: verumtamen, vt pretiosi Arabię liquores, quamuis e suis quiq. defluant arboribus puri, primo tamen terræ contactu adulterantur, vel arenam, vel paleas complectentes, vel viuentes adhuc, ambulantesque bestiolas sepulchro, non quidem obscurantes, sed illustrantes; vt nescias viuentibusne mortem bestiolis afferat liquor, an illę potius liquori conferant vitam: sic Mariæ animus, quamquam sudo Cælo nitidior, cum primum ex beneficentissimis studiosi

ſtudioſi artificis manibus excidit in corpus ex terrena materie coagmentatum, eius mox ſocietate, & coniunctione fœdatus eſt. Audio. Quid ſi, quemadmodũ probatiſſimum illud Thus, quod luçidiſſimum vocant, ne illo, quem dixi modo ex arboribus depluens adulteretur, tegete palmea excipitur, vel area circumpartita; ſic Mariæ animum eadem ipſa, quæ genuerat gratia ſuſcepit, ſtudioseq. cauit ne alienum illi maleficium adſpergeret labem, quam ſuo volebat eſſe beneficio illibatam? Quid enim non illi parentem, atq. obſtetricem præſtaret Deus, à qua haud ita multo poſt vtrumq. ſibi officium cumulatiſſimè tribuẽdum eſſe intelligebat? Non leuem Auditores, mihi credite, iniuriam Deo facit, qui beneuolentiæ, ac pietatis officium ipſius aliquod in matrem deſideratum putat; aut eorum decorum, quę in mortales conferri poſſunt quodpiam

præter-

prætermissum. At quanto illud minus, quod & summo propè beneficij iure debebatur ab eo præsertim, qui iam tum prouideret parem sibi olim pro viribus gratiam referendam esse; & (vt tandem dicam quod sentio) ferè vnum erat, quo sanctissima Deipara, vt officio, ac munere; sic etiam laude, ac dignitate ceteris mortalibus, non modo singulis, sed etiã simul omnibus anteiret. Vereor, vt hoc, quod dico, non perindè intelligi auditu possit, atq. ego cogitans sentio. Enituit fœminarum aliqua formæ elegantia: sed eam parum pudici mores infuscarunt: aliam pudicitiæ splendor exornauit; quæ tamen superbiæ sordibus obsoleuit: alia natalitijs imaginibus clara, virtutes in ceris habuit: alia laudem à pueritia collectam, ante virtutis maturitatem decoxit: alia heroicam fortitudinem in eo sexu commendauit, qui non nisi lacrimis pugnat; sed castitatem, quę

vna

vna sexu commendat, tamquam nimis fragile, & caducum fortioris pectoris bonum, aspernata est. Ad summam nulla inuenta est, cuius vitæ aliqua labes ex fatali hominum corruptela non sit adspersa. Maria vna est, in qua magnificè consensit, ac conspirauit omnium virtutum cœtus, vt nihil pudori venustas, nihil grauitas demissioni, nihil comitas grauitati, nihil comitati maiestas, nihil maiestati simplicitas, nihil simplicitati prudentia, nihil deniq; (quod antea fuerat inauditum) matris fœcunditas virginitati detraxerit. Vicit itaq. Maria non tam virtutibus singulis, quam cœtu virtutum: vicit mortalium singulos; sed alios aliorum (vt ita dicam) ornamentis. Num tamen vna vicerit vniuersos, & qua laude vicerit difficilimum est iudicare: nisi animus in id, quod dicimus intendatur, Mariæ vitam omni prorsus labe caruisse; quod vnum cum sit, &

quidem omnium ornamentorum maximum, ita illius est proprium, ac singulare, vt etiam si mortales omnes in vnum conducantur, idem inueniri, aut æquale aliquid fierì ne cumulo quidem possit. Vt meritò dictum sit *fortissimæ huic mulieri ab vltimis finibus*, hoc est à primo illius satu prorsus illibato maximum, atq. incredibile pretium accessisse, vel certè *vnionibus, qui ex vltimis terræ finibus afferuntur æstimandam esse*, quorum adeò similem habet satum, hoc est purum, illibatum, prorsus cęlestem. O gloriosissimum Annæ Matris conceptum, ò summam Deiparę Virginis dignitatem, non modo abiectam mortalium conditioné, vitæq. sordes vniuersas; sed etiam nascendi leges prætergressam. Quis non admiretur enatum è spinis lilium, cymbam ex naufragio integram, ex tanta humani generis corruptela animum prorsus illibatum? Quis hodierna die

Mariæ

Mariæ cauſa non vehementer lætetur, non illi tantam ex animo gloriam gratuletur, non omnium linguis, ac vocibus prædicatam velit? Cùm verò huius diei venit in mentem, quo die noſtræ ſalutis prima fundamenta ſunt iacta, poſſumus non noſtra etiam cauſâ geſtire animo, & Dei non modo erga parentem beneficentiam; ſed etiam erga genus humanum charitatem commendare? Ille Deo propemodum exprobrat genus, qui aliquid damnat in matre; qui verò minus eandem laudat magnificè, næ ille genitum ex ipſa Deum non ſatis aperte confitetur.

Aduersus capillorum cultores.

ORATIO.

PRIOR.

FREQVENTIA vestrum, Braydenses, & ista, quam ore, atq. oculis pręfertis orationis expectatio, sanè non obscurum fauoris, ac gratiæ argumentum, quã ceteris oratoribus afferre solet alacritatem sententię dicendæ; eã mihi hodierna die, vel eripit, vel interpellat. Ea siquidẽ mihi suo prope iure repetere videtur, vt qui tantã concionis celebritatem vestro beneficio sum consequutus, eã beneficij gratiam referre studeam, vt

dictionem

dictionem hanc meam vestræ vel laudi; vel voluptati transmittam. Ego verò vt plurima in vobis esse non dubitem omni digna prædicatione, ac laude: tamen quia genus hoc causæ tale est, vt non nisi summo oratori conueniat, qui & minimè vulgare orationis genus afferre possit, & vestrum de sua facultate iudicium non reformidet; nihil à mea tum ingenij, tum facultatis tenüitate magis alienum puto, quam ijs de rebus verba facere, quarum splendor maiores orationi tenebras offundat, dum Audientium quilibet id egisse oratorem putat vt vinci maluisse videretur quam vincere, & rei plus dignitatis ademisse dicendo, quam contulisse. Quare tum e re mea me facturum, tum etiam vestra existimaui; si magnis oratoribus magna illa argumenta permitterem; ego æquiorem meis viribus materiam inuaderem, ne fortè meos primos in hoc dicendi

opere conatus rei opprimat difficultas: & maiora parum feliciter professus, etiam minora desperem. Nemo itaque mihi non minus facultate, quam corpore, & ætate adhuc pusillo succensere iure poterit, quòd paruis de rebus vobiscum deliberaturus in hunc locum conscenderim: cum præsertim ita sint necessariæ, vt sine illis præcipua vestri ordinis ornamenta vix, ac ne vix quidem tenere possitis. Dicendum est enim mihi de externo corporis cultu qualis nimirum in ingenuo adolescente esse debeat, vt cùm totius sexus communem dignitatem; tùm vero priuatam sui ipsius morum, ac famæ integritatem tueatur. Tanta siquidem est animi cum corpore affinitas, vt alterius partis in alteram facile redundent mores, & quidquid in animi latebris, ac recessibus humanis subductum aspectibus delitescit, vultus, ac corporis totius indicio proferatur

ratur

ratur in lucem; vt propterea non parum interſit, quis tandem corporis ſit cultus, ex quo animi mores vel exiſtunt, vel æſtimantur. Et quamquam nulla corporis pars eſt, Auditores, in cuius cultu præſentis ætatis intemperantia modeſtiæ limites non egrediatur: quando & auro redimiti pilei regiæ frontis notam circumferunt, & lina collo ſinuoſo ambitu circũducta candoris pertæſa, quòd nimis ſimplici conſtet cura, cęruleo non imbui quidem, (quòd minus iuſto operoſæ delicię viderentur) ſed leuiter duntaxat afflari geſtiunt; & pretioſa de collo ſeruitus pendet; & aurum eò ambitioſius, quò incurioſius occultatur; totum corpus in miſeram cogitur gracilitatem vt, quę olim naturæ fuerant vitia, nunc ambitionis quodam beneficio in virtutes, atq. ornamenta conceſſerint; manus, quarum in expedita exercendi operis facultate laus erat, non niſi lineis ma-

nicis impeditæ ſatis creduntur ornatæ; digitos ne in viriles creſcant, ſed ſexum gracilitate mentiantur, aurum compeſcit, inoculant gemmæ; ne naturalibus oculis aliud fortaſſe agentibus cœca rerum contrectatione fœdentur; cruribus non iam vincula præter naturæ conſilium inſtituentis ad curſum, ſed à ſententia potius alæ admouentur ad volatum niſi aurum ſacoma apponeret; pedes ſoleis durius, quam compedibus cohibentur, nec illarum tolerari poſſent anguſtiæ niſi lunatis ad talos feneſtris, omniq. ſectionum genere laxarentur, vt quaſi per tranſennam etiam, quæ calcantur, oloſerica interluceant; ſubijciuntur calcaneis pedules, & cothurnata inuentus vel ſcenam meditari videtur, vel heroicam proceritatem affectare, vel de diuortio terræ, quam ſummo vix pede contingit cogitare: vt inquam nulla pene corporis pars ſit, quæ exupe-

ranti

ranti cultu, luxuq. non diffluat, ceteris tamen omnibus in præſentia prætermiſſis, non niſi de capillorum cultu hodierna mihi die propoſui dicendum, quam nimirum ille ſit viris ſiue adultis, ſiue adoleſcentibus non turpis modo, verum etiam flagitioſus: nam & de reliquo cultu, qui penè omnis in veſtibus poſitus eſt non nemo longè ante me dixit copioſiſſimè, & minor eſſe ſolet in veſtibus quam in capillis luxus, quòd illæ alieno plerumq. vt ſumptu, ſic etiam arbitrio parantur, hos pro ſua quiſq. voluntate curat, deniq. veſtitus omnis extraneus eſt homini, & aduentitius, capillus contra domeſticus, & in ipſo tamquam in natali genitus ſolo, vt neceſſe ſit capillorum non ſolum habitudinem, colorem, ac formam illis à natura inſitam, ſed etiam ſtatum, ac flexum, ceteraſq. à voluntate, & ingenio adſcitas conditiones multò magis cum in indole, ac moribus con-

 iunctas

iunctas esse, ideoq́. diligentius curandum vt in capillorum cultu, quam vestium à modestiæ, ac moderationis præscripto ne discedatur.

Et sanè, si sacrarum litterarum, christianæq́. Principum sapientiæ testimonijs, quibus tecta ista, & parietes personare quotidie solent: agendum putetis non erit mihi hodie magnopere laborandum, non voce, non lateribus contendendum, non multæ argumentorum machinæ admouendæ, vt, quod antea proposui conficiam: turpe nimirum atq́. ignominiosum esse viris comam nutrire. quin potius vno impetu, primoq́ue congressu facilè obtinebo non modo vt sapientum præceptis, & benè moratarum gentium institutis edocti, sed ab ipsa natura imbuti longè aliter fuisse videamur. Etenim Paulus christianæ legis promulgator, & interpres disertissimus Corinthios apud suam ipsorum cō-

ſcientiàm iudicem ſic cogit, vt recuſare minimè patiatur, quominus ab ipſa ſe natura inſtitutos eſſe fateãtur, viro perindè ignominioſum eſſe comam nutrire, ac mulieri tonderi, ac decaluari. Nondùm dico quorum flagitiorum ſuſpicionem afferat, atq. adeò quas ſcelerum maculas adoleſcentum nominibus inurat mollis ille, & effœminatus capillorum cultus. hoc vnum in pręſentia commemoro, quod interprete Paulo ipſa nos docet natura, viro indignam eſſe comam, quia vir eſt, quia humanæ ſocietatis princeps, & caput, & vero etiam decus, & gloria, quam gloriam nec exterius aſſumpto velo, nec ab ipſa naturà capillorum ſtaminibus contexto fas eſt occultari penitus, vel ex parte obſcurari. quis enim ſua ſic eat perditum, vt quibus maxime poteſt clareſcere, ea vel tecta, vel obſcura eſſe patiatur? Tegatur fœmineum caput non ſolum artis integu-

integumentis (atq. vtinam non ijs quibus vel pudor impudentius retegatur, vel forma gloriosius ostentetur) sed ijs etiam naturæ præiudicijs, ne, qui in solo viro sedem habet, dominatum, etiam mulier præferre, iactareq́. videatur. Virilis ceruix principatu conspicua, plebeias illas naturæ latebras dedignatur. detur hoc muliebri leuitati, vel imprudentiæ, vt de seruitutis argumento gloriam quærat: virum nihil æquè commẽdat, quam liberi, & expediti capitis prærogatiua. vt meritò dixerit Paulus nihilo minus ignominiosum esse viro comam nutrire, quam mulieri gloriosum. Hoc vero grauissimum Apostoli iudiciũ suis etiã suffragijs PP. apostolicę alumni disciplinæ sequuti sunt, Hieronymus, Ambrosius, Nazianzenus, Clemens y-terq́. Romanus, & Alexandrinus. Iam quid ego Tertullianum commemorem veterum Ecclesiæ morum diligentissimum

mum custodem, & nouorum corruptorumq. acerrimum castigatorem. Etenim qui in fœminas capillum non sola duce natura fundentes (quod ipsis honestum in primis esse fatentur omnes) sed mollius curantes tam acriter inuehitur, vt declamare illum facile credas aduersus veneficas, & scorta vulgatissima exagitare: qua quæso oratione senex vere masculus exciperet præsentis ætatis adolescentes summi naturæ beneficij immemores, sexus oblitos, à mulieribus ineptijs vindicatos, in meliorem spem editos, grauioribus negotijs destinatos capillorum cultu certantes cum mulierculis connubia captantibus, & oculos, ac suspiria post se trahentibus. quibus aut nominibus appellaret, aut obiurgaret sententijs, aut aculeis pungeret, aut iurgijs flagellaret hos non à maiorum virtute, sed ab vniuerso hominum genere, à communi sexu à se

ipsis

ipsis degeneres?

Nemini video dubium esse quin si sacris testibus agere liceat, causa non solum dicta sit; sed etiam iudicata. Sed ijs fortasse acquiescere recusabunt comati, nimiam opinor excepturi vt sanctitatem, sic etiam seueritatem, vt propterea necesse non sit ijs profanos homines conformari. Ego vero, iure ne hoc, an iniuria responderi possit, nihil in præsentia disputo, cum profanis æque, ac sacris testimonijs reuinci possint. sed ea antequam incipio in medium afferre, illud minimè negligenter præteribo, adolescentibus sanctioribus institutis à reliquis mortalibus segregatis, sacris nimirum ordinibus initiatis nihil hoc loco recusandum superesse, quominus sententiæ ex sacris litteris, ac Patribus recitatæ acquiescant, & capillorum cultum à sacrorum cultui mancipatis esse putent alienum. quamquam sunt aliæ ipsorum

magis propriæ ſanctiones. Illos enim ſanctiſſimus vates Ezechiel diuino prohibet edicto ne vel caput radant, vel nutriant comam, vt nec excaluati capitis fœditate, nec euirati mollitudine arceantur à ſacris, quæ cum dignitate iuxta, & grauitate æquum eſt exerceri. Quapropter in toto olim occidentali orbe moris fuit, vt qui ſacræ militiæ accingebantur fluentis comæ abiectione virilis animi præſtantiam conſtantiamque aduerſus huiuſmodi lenocinia militantis Eccleſiæ ducibus probarent, eoq. veluti glorioſioris militiæ authoramento cõfirmati, dignam ſacro milite referrent fortitudinem, & rei conſentaneam appellationem. Etenim tonſi dicebantur, quia re vera tondebantur, nec integrum erat poſtea comam alere. eiuſque tum moris, tum appellationis etiam nunc manent veſtigia. Epiſcopus enim quos cooptat, ijs capillorum cinnos hinc indè

de delibat, eaq. prima tonſura appellatur. Nec ſanè infulatos magis decent concinni, quam infulę effœminatos. nec eos qui non modo rebus humanis, ſed penè etiam libertate ſe abdicarunt, vt omnem curam, ac cogitationem in vnius numinis cultum conferrent, æquum eſt de componendis capillis aut animo, aut opere diſtentos eſſe vt Hieronymus ſponſos mallit exiſtimari quam clericos illos, *quibus omnis cura de vestibus vt benè oleant, vt pes laxa pelle non folleat, vt digiti de annulis radient, qui ne plantas humidior via ſpargat vix imprimunt ſumma veſtigia, quibus demùm crines calamiſtri veſtigio rotantur.*

Sed vt vnde huc diuertit eò reuertatur oratio. Nullus ferè extitit inter profanos ſcriptores, qui de iuuenum moribus aliquid tradiderunt, qui non exiſtimarit has capillorum molles compoſitiones, & puellares illecebras, virorum

eſſe

esse probra, masculæ virtutis dedecora, nobilissimi sexus maculas, virilis pulchritudinis deformationes. Quoties Romanæ Princeps facundiæ viris in Republica primarijs exprobrauit comam calamistratam, & madentem, compositum capillum, & comptum, cincinnos, cincinnorumq. madentes fimbrias, & alia generis eiusdem dehonestamenta? Quis ignorat frequentem, ac implacabilem Senecæ (hominis alioqui stoica patientia obdurati) non modo stomachum, sed etiam oculorum in tanta virilis adolescentiæ indignitate fastidium, vt nec maledictorum aculeis parcēdum putet. Taceo e nostris Plautum, e Græcis Phocilidem, Agathonem, Aeschilum, aliosque complures, vt mirum sit ne Poetas, & Græcos quidem, quorum non modo oratio, vt ita dicam comata, & cincinnorum fimbrijs laciniosa est, sed ingenium etiam luxurians, & mores plerūq.

molles,

molles, & euirati, tam prodigiosam formæ metamorphosim irretorto oculo aspicere potuisse: nec philosophicum nimis censendum sit Pherecidis factum, qui cum comatum iuuenem obuium habuisset sublata tunica tam fœdæ rei aspectum oculis interclusit: nec iam è stoicorum hominum disputationibus, sed è sapientum omnium sensu deprompta mea possit oratio existimari cum dico capillorum cultum turpem, & ignominiosum hominibus censendum esse.

Vereor tamen ne capillorum cultores non modo communi in hac causa sapientum iudicio non acquiescant; sed, cum nihil elegantius existiment, nihil pulchrius, ac iucundius spectari posse, quam comam operosa illa arte, feraliq. ignis, atq. ferramentorum operaria supellectile compositam, contemptum illum, seu potius odium capillaris pulchritudinis vel cynicum stuporem, vel

ſtoicam apathiam, vel ſenilem atq́. aſperam iuuenilis efflorescentiæ inuidentiã interpretentur. Agedum relictis ſapientum iudicijs rem ipſam propius attingamus: Quid enim eſt tandem homini ignominioſum aut turpe cenſendum? enim verò, vt nihil cuiq́. rei magis eſt pulchrum, quodq́. maiorem illi conferat dignitatem, quam id, quod decet, eiuſq́. naturæ maximè conſentaneum eſt; ita turpe, atq́. indecorum debet exiſtimari quod dedecet: vtq́. alia aliarum rerum eſt conditio, & natura, plerumq́. etiam aduerſa, atq́. contraria: ita etiam alijs alia, pugnantibuſq́. pugnantia ornamenta pulchritudinem, dignitatemq́. conferre neceſſe eſt vſq́. eo, vt, quæ pulchra ſunt vnis, ignominioſa ſint alteris. Quid enim pulchrius viro, quam præſtantiſſimum naturæ donum, ſingulare Dei beneficium, ſummum in res omnes dominatum, ſexus dignita-

tem, deniq́ue virum merito præferre? Quorum omnium decorum insigni si destituatur, perinde atq́. persona suscepta vix dignoscitur, vix satis illi res vlla suffragatur, vt vel cetera fœdati sexus ornaméta retineat, vel sustineat opinionē. At vero muliere barbata quid turpius? circumducitur instar monstri, ostentatur in theatris, pretio spectatur in scenis nō quia pulchrum videtur, quod cernitur, sed quia placet inhorrescere. Quid? tantumnè interest virum esse, an mulierem, vt, quod alteri ornamento est, alteri repēte sit probro? prorsus ita est Aud. Quis ergo recusare iam poterit, quominus exprobretur viris muliebris capillorum cultus? Etenim capillum comere, fouere, inungere, vertere seu colore, seu ferro, modo vibrare sinuosis anfractibus serpentis in morem, modo æqualiter pectere, vt à ceruice, tamquam à fonte pleno alueo molliter in humeros

fluat

fluat; nunc diſcriminali acu à fronte ad occipitium diſpeſcere, vt hinc inde in aures depluat; nunc vnam in partem totum corriuare; nunc à ſummo vertice in omnes partes deducere quaſi vaginã capiti, vel operculum accommodarent; nunc erraticum fluxum calamiſtri lege compeſcere, & alios crines in annulos adſtringere, & in frontem corymborum inſtar demittere, vt exangui, expudorato, prorſus verò marmori, de picto, fictoque auro honor accedat; alios nulla lege coercere, vt vagi, ac volucres elabantur, non bona ſimplicitate, diſſimulante faſtidium, vt gloria de neglectu captetur; deniq. in tenera ceruice non ſecus, atq. in latifundio excolendo curam omnem, cogitationemq. conferre: an non, vt muliebris otij negotia ſunt, & leuiſſimæ mentis curæ grauiores, ſic etiam fœminarum ſunt propria ornamenta, omniſq. ipſarum laudis argumenta potiſſi-

ma? Quid enim intereſt pexinè capilli Crobylo doceantur ſupra frontem in-criſtam aſſurgere cum

crine ſupino
Stringitur, vt refugo careat frons nuda capillo;

an verò contexti Corymbio caput coronare, retroque ſuggeſtum adſtruere? vtrouiſmodo contra Domini præcepta, muliebri leuitate contenditur, ad conceſſam à natura ſtaturam non nihil *adijcere*.

Quem ergo virum tam effœminatæ non dicam pulchritudinis, ſed leuitatis non pudeat, modo viri ſibi nomen, ac ſexum honori ducat? quem non pudeat tam indigni otij, apud tonſorem multas horas tranſmittere, dum de ſingulis capillis in conſilium itur, dum aut in orbem cæditur coma, quam natura aliter fundit, aut deficiens hinc, atq. illinc in

frontem

frontem compellitur. Est ne masculi ingenij irasci, si tonsor paulo negligentior fuit, quasi virum tonderet; si quid vltra pręceptũ decisum sit, si cochleas annuli non imitentur? malle rempublicam suã turbari quam comam, magis esse de capillo, quam de salute solicitum? Mulierum sunt isthęc, mihi credite, Adolescẽtes, seu negotia, seu ornamenta. quas enim à grauioribus, ac melioribus natura reiecit, eas hisce ineptijs admissi in mundum criminis pœna damnauit, nihil vt turpius homini accidere posse videatur, quam cuius criminis societatem in primo omnium parente detestatur, eiusdem pœnæ consortionẽ ipsummet sponte appetere, & eius ingenium induere, cuius indui vestibus sua constante persona erubescit, aut eius vsurpare ornamenta, cuius similem minimè se velit existimari. Pellite hanc à libero capite seruitutem, liceat crinibus vestris quie-

ſcere, liceat capiti vtilioribus excoli laboribus, melioribus artibus, ac præceptis conformari.

Non poſsũ hoc loco diſſimulare Aud. præclaram non ineruditorum ſanè hominum defenſionem . nimirum non pręſentibus modo, ſed etiam priſcis temporibus ad virilem, & verè maſculam pulchritudinem exaggerandam, curatam fuiſſe comam. Teſtes appellant Abſalonem qui comam non minore vſura tondebat, quam ſyluam; Sampſonem cuius cum crinibus pariter ſtabant, ac concidebant vires; Nazaræos reliquos quorum capita tondere non minori *religioni* erat, quàm Dianæ lucos exſcindere; Salomonem mortalium ſapientiſſimum, cuius vt capilli palmarum elatis ſimiles, ſic etiam animus fortior erat, & erectior palma; eiuſdem venuſtiſſimos comites, quorum equitantium cæſaries auro tincta in equorum vſque

ſeſſionem

ſeſſionem teſte Ioſepho diffundebatur. Ex Græcis verò Theſeum, Alcibiadem, & reliquos Socratis alumnos: Ex Troianis Paridem, alioſq. complures comã nutrire conſueuiſſe. Illum verò ex Ambroſio locum quam libenter proferunt? quàm in eo magnificè ſe iactant? *Reuerenda*, inquit, *eſt in ſenibus coma, veneranda in Sacerdotibus, terribilis in bellatoribus, decora in adoleſcentibus, compta in mulieribus, dulcis in pueris*. Verum, vt ad poſtrema primùm reſpondeam ſignata retro veſtigia relecturus, non ſatis illi integrè Ambroſium legerunt, apud quem ſtatim adiungitur *alium ſexum crinita decet* (ſcilicet muliebrem) *alium* (hoc eſt virilem) *intonſa non decet*. decet virum coma, quia caluitium dedecet, idemq. eſt ſine crine caput,

Quod ſine fronde frutex, ſine gramine cãpus,

vt ne principes quidem viri Iulius Cæ-

ſar, Otho, Caligula, Domitianus potuerint glabrum caput à contumelijs defendere: at non promiſſa qualis eſt mulierum, quibus viciſſim ſummæ contumeliæ loco eſt virili more tonderi. Qui verò ex Paride ſuæ cauſæ præſidium expectent, ſatis intelligere non poſſum, qui vel hoc nomine, quod capillitium commeret non ab hoſtibus modo, ſed etiam ab Hectore fratre fractus, & eneruis audire cònſueuit, multoq́. grauius à lyricorum Principe, quaſi Veneris præſidio ferox pectens cęſariem, grataq́. fœminis imbelli cithara carmina diuidens graues Græcorum haſtas calamo vitare ſe poſſe exiſtimaret adulteros tandem crines Troico cinere, & proprio ſanguine reſperſurus. Græcorũ verò quis miretur, comam vltra virum potius, quam ſermonẽ vltra verum extendi conſueuiſſe? quamquam ne apud ipſos quidem mu-
liebris

liebris ingenij, animiq. effœminati labẽ effugerunt capillorum amatores: nam & ille ipse Theseus ab Atheniensibus virgo matura viro appellatus est, & pugillatu, viriliq. virtute indignus iudicatus, quod comatus in certaminis locum ingredi voluit. Iam verò quis ignorat, tum Socratem ipsum paulò molliorem, & amasium semper habitum fuisse, tùm verò eius sectatoribus eamdem ipsam labem allini consueuisse, *Comabant, esuribant, squalebant, socratissabant*. Sampsonem deniq. Absalonem, & Salomonem nemo ignorat vxorios fuisse, vt ne in his quidem desinet coma muliebre nescio quid redolere. Satis id quod dixi testantur vnius in tegendo secreto victa constantia, & in Dalilæ gremio dormientis derasum cum crinibus robur: & paterno toro ab altero illatum stuprum: à tertio deniq. exterarum mulierum, perinde ac pecorum greges curati; vt mirum

iam

iam non ſit eius apparitores in cæſarie nutrienda, & tingenda fuiſſe muliebrem morem, ac luxum imitatos.

Sed eſto fuerit apud exteras gentes aliquas non ſolum in fœminis, ſed etiam in viris conſuetudo capilli nutriendi, & colendi: an minus idcirco vobis probauero, eam conſuetudinem ignominioſam eſſe? Quid? ſi huiuſmodi gẽtes fuerint, vel moribus agreſtes, vel immanitate barbaræ, minus ne erit exprobrandum hominibus meliore cælo, ac ſolo natis, quod ipſę vſurparint? quis vel dementiſſimus hoc ſtatuat? Vt nihil magis eſt ab hominibus alienum, quam quod ferarum eſt proprium; ita nihil magis diſſentaneum eſt hominibus aliqua excultis humanitate, quam quod agreſtes, ac feri vſurpare conſueſcunt. An Italici nos pudet cæli, aut pœnitet patriæ, quod in exteros mores degenerantes, patriam capillo transferimus? Religio-

ni ducamus capillum tondere, quia Cilices immanes, & piratica viuentes à Tibullo, Getæ truculenti, ac barbari ab Ouidio intonsi appellantur. Alamus comam, quoniam Gigantes illi in Iouem contumeliosi dicuntur ab Orpheo

Titanesq; comati immania corda ferentes.

torqueamus in nodos, vertamus in annulos, quia

Crinibus in nodum tortis venere Sicambri.
Atq; aliter tortis crinibus Aethiopes:

Erigamus vt horreant, quia Sueuis ita placuit: decaluemus occipitium, & sincipitis densam promittamus comam, duas in partes discriminatam, quia hoc ipso capitis habitu Longobardi in Italiam irruperũt, vt maioribus nostris terrori essent: vel contra deraso sincipite,

comam

comam de occipite dimittamus;sic enim Lacedęmonij suos iubebant militare, vt ne in pugna per frontis cæsariem appræhensi prosternerentur, nec fugam in qua occipitij coma capi possent meditarentur. Id quod fortasse non satis cauerat Iudæus ille quem Pedanius eques Romanus Titi Imperatoris apud Hierosolymam miles conciso equo, extensaque dextera fugientem suspendit captiuum Cæsari ferens, gloriosæq. victor rapinæ velut LepusculumAquila, aut Accipiter Fulicam ante pedes Cæsaris viuentem abiecit. Expingamus demum auri ramentis, vt rutilent; decorum putemus quod inquinamus, & malè nobis flammeo capite auspicemur, quod Cæsar

Rheni se dicat in aruis,
Tam rutilas vidisse comas,

& Salomonis quondam stipatores, hodieq.

dieq. Mexicani reges ita consueuerint; dùm ego illud hodierna dictione conficiam cæsariem rudem, & incomptam sola duce natura, vt desertus ager myricas effundere, militantium esse propriũ, aut barbarorum, qui non modo luxum, sed omnem etiam humanitatem exuerint: comere vero, fouere, colere affectu, cultuq. muliebri, & Cinislonum legibus conformare, quod nostri solent comati, non esse virilis aut animi, aut ingenij; sed mollis, & effœminati: eoq. proinde ornatu viri dignitatem imminui, splendorem obscurari, obteri laudem, adimi principatum, demùm cum persona omnes viri prærogatiuas auferre. Abijcite Adolescentes isthæc aliena quidem ornamenta, sed vestra dedecora, vindicate liberum, ac dominum caput ab istiusmodi seruitute; ad meliora, seu animum consilia, seu manus exempla prouocate. Retinacula sunt isthæc enero-

generosioris animi sublimiora cogitantis effringite. Remoræ sunt quæstuosissimam ad virtutis, & sapientiæ portum nauigationē retardantes: velis remisq́. contendite; puellares nugæ à serijs negotijs auocantes; contemnite. Ornari placet, quæritis pulchritudinem? non recuso, modo veram non adumbratam, vestram non alienam. Vera hominis pulchritudo est, qua humanus animus pars eius princeps insignitur: hæc vero ex virtutum lineamentis, & bonarum artium coloribus efflorescit, &, vt multa paucis perstringam, in eo, qui se minimè ad flagitia referat, eadem speciosiora quoq. sunt, quæ honestiora. Quærite de pudicitia candorem, purpurissum conferat verecundia, collyrium oculis allinat modestia, deniq; caput densam doctissimarum cogitationum nutriat comam, eaq́. varijs dicendi figuris nunc pectatur vt Tullianum referat fluxum,

nunc vibretur vt Fabianis pungat aculeis, nunc Plinianis blandiatur cincinnis, nunc Tertullianeo terreat horrore, poeticis demum ſuccis, ac pigmentis omnibus madeat, & pingatur, talibus enim culti ornamentis homines, diuosq. in admirationem veſtræ pulchritudinis traducetis.

Dixi quam turpe ſit viris comam nutrire; quam verò id flagitioſum cenſeri debeat, altera oratione intelligetis.

Aduer-

Aduerſus capillorum cultores.

ORATIO.

POSTERIOR.

NIHIL vnquam longius nobis viſum eſt, Braydenſes, quam hoc tempus, quo à die, qua primam cauſæ contra comatos ſuſceptę partem hoc ipſo in loco apud vos egimus ad hanc vſque conſpectum veſtrum longè iucundiſſimum, optatiſſimamq́. concionis tam præclaræ celebritatem, partim vſitatis, & quotidianis occupationibus, partim etiam extra ordinem ingruentibus maiore fortaſſe cumulo, quam ferre facile poſſimus, coacti ſumus expectare,

vt

vt alteram promiſſi muneris partem; fidemq́. iampridem obligatam humanitati veſtræ ſolueremus. Nam & veſtra præſentia, quo plus habet fauoris, ac gratiæ, quam inuidentiæ, alieniq́. iudicij; eo minus tenuitatis noſtrę conſcientiam ab hoc dicendi munere deterret, quam cupiditatem, & ſtudium inflammet veſtræ dignitatis conſeruandæ. Et verendum nobis magnopere videbatur; ne pluribus diebus interpoſitis tum demum cauſam reſumeremus perorandã; cum pars eius prima in obliuionem diuturnitate adducta eſſet. Pręclarè ſe res habet, Aud.: præteritorum dierum querelam ſuſtulit tandem aliquando nobis redditus conſpectus veſter vſq́ue adeò iucundus; vt magis exoptata huius diei celebritas; quam ſera eſſe videatur. Age verò, quoniam ſatis, vt arbitror, demonſtratum eſt, ſtudium comæ nutriendæ, & calamiſtri legibus conformandæ, totũq́.

illum muliebrem capillorum cultum, indignum esse viris, & verò etiam turpem, & ignominiosum: quantum in eo insit non solum suspicionis, sed etiam flagitij hodierna dictione planum, testatumq. omnibus faciamus.

Neminem autem vestrum ignorare arbitror, Aud; hunc secundum priorem actionem penè omnium sermonem, atq, hanc communem opinionem Braydensium fuisse, comæ, cincinnorumq. cultores partim muliebris illius moris, ac mollitudinis deformitatẽ edoctos; partim nõnulla prioris orationis seueritate castigatos, non modo non expectaturos esse alteram, qua non iam vt muliebri vel persona dehonestati, vel luxu euirati irriderentur, verum vt flagitiosi grauiore supercilio obiurgarentur; sed ne in conspectum quidem hominum se in posterum daturos, nisi cohibita comę studiosius cultæ profluentia, tonsis cincin-

norum

norum fimbrijs soluta, expeditaq. tam multis crinium annulis, ac nodis fronte; ceruice in virilem libertatem, ac principatum vindicata, deposito velo ab ipsa natura muliebri, vel seruituti, vel modestiæ destinato, omnibus demum alieni sexus insignibus abdicatis. Quæ fama non idcirco solum emanarat, quod nemo quemquam tam impudentem fore arbitrabatur; qui quæ sui generis dehonestamenta esse planè constaret; ea ad ornatum vsurpare, iactareq. non erubesceret: verum etiam quod illorum pleriq. non ita constantibus colore, atq. oculis prioris orationis impetum sustinuerant, vt in clarissima concionis huius luce calamistratis frontibus latebras omni, qua poterant ratione non struerent. Sed profectò, vt in capillorum cultu muliebre referunt ingenium; ita in hoc etiam fœmineos mores imitantur, quod molestias, quas animi imbecilli-

tate non facilè aliquando protulerunt, eiusdem animi nescio qua leuitate facilè obliuiscuntur. Præsto sunt iterum coma nihilominus, quam antea promissa, multo tamen ambitiosius omnibus ciniflonum lenocinijs culta; vt quod antea videri poterant ad frigoris arcendas iniurias vsurpare; nunc in vehementioris æstus contumeliam retinere ad ornatum videantur.

Nec ego sanè iam miror tantum in leuissimis ceruicibus huius amorem libramenti: illud sine admiratione videre non possum, audere adhuc comatos nobis pro nostra, & ingenij, & facultatis tenuitate in hunc ipsorum morem iterum declamaturis in concionem venire, & frontem mollitudine muliebri euiratam ostendere, & tamquam scopum obijcere, in quem nostra collimet oratio. Quamquam, ne hoc quidem mirandum est; qui enim de pudore erubescat frons

illa

illa, quæ non ſuis vnquam, hoc eſt vere-cundiæ coloribus, ſed alienis dumtaxat, accerſitis ſcilicet ex muliebri mundo pigmentis per ſummam impudentiam expingi ſolet, eiuſq́. pudoris maculas non alijs, quam madentium cincinnorum impudentioribus fluxionibus eluere? quæ non aperta modeſtiam præferre aliquam, ſed denſa capillorum ſiluæ impudentiæ, ceteriſq́. cupiditatum feris latebras ſtruere? Hoc verò, Aud. nos quidem patimur animo ſanè quam libentiſſimo; neq́. enim moleſtè poſſumus ferre noſtri nos laboris fructum aliquem laturos eſſe: tum quod ex hac ſecunda dictione omnes tandem intellecturi ſint, quantum laboris, ac diligentiæ poſuerimus in hac tota actione adornanda; tum etiam quòd ea nobis iterum ad dicendum cauſa ſupponitur; in qua nemini oratio deeſſe poteſt. Quid enim plenius, quid vberius, quam contra adole-

ſcentes prçclaram virtutis indolem non ſuo, aut familiæ, ſed reipublicæ vniuerſæ malo mollitudine, luxuq. extinguentes, iterum, ac ſçpè dicere? Verumtamen id ipſi minimè impunè ferent: doceantur hodie, ij ne, quorum dicta contemnunt latinè ſciant, nec modo tam effœminatos mores ſuis nominibus inſignire; ſed etiam pro ipſorum indignitate perſequi. faceſſant conſueti Rhetorum colores, quibus aduerſis, comati ne verecundiæ quidem ruborem trahunt; excedant, ſi modo vllum vnquam in noſtra dictione locum habuerunt, orationis cultus paulò nitidiores, ne quem in ſermone luxum retinuerimus, in crinibus ſolius exercitationis gratia damnare comati arbitrentur. procul ſit delinifica illa, & emaſculata facundia, quæ vulneri etiam dolore ſæuienti cicatricem mentitur, & eum ipſum ſubleuat, quem contra dicit. procul illç placidiſſimæ verborum cunç,

quibus

quibus ijs ipsis, quos exagitant, somnus irrepit. Tonante opus est oratione, qua excitentur, & verò etiam in ceruices cincinnorum fimbrijs laureatas posthabita religione detonante. Seriò agenda res est; nec iam quasi personati solo risu vindicandi capillorum amatores videntur; sed indignatione terrendi: non picturata virga cædendi; sed solido, si fieri possit, robore delumbandi: nec solum habenda ratio quid nos deceat dicere, sed etiam, quid necesse sit illos audire.

At quid opus est, inquiunt, tanta orationis seueritate? Sunt enim, Aud. non pauci; qui nostrum in re capillaria, quā leuissimam dicunt, stomachum, tantumque oculorum fastidium mirantur; quorum in ore frequens illa esse solet oratio: Pulchritudinem donum esse Dei tantò excellentius, quantò rarius, quantò mortalibus optabilius: vt quo nullum sit, aut possessione ditius, aut vsu iu-

cundius: absolutam scilicet corporis felicitatem, animi vestem vrbanam, diuinę, seu formę instar, seu lucis defluuium, seu plastices delicias, seu fabricæ accersionem, iustum regię potestatis pretium, immò etiam regnum quãquam inerme, singularis naturæ apud omnes humanitatis participes commendatio, & blãda beneuolentiæ conciliatrix. Quare hoc tantum humani corporis bonum plurimi facere, nec curare modo; sed etiam pro virili amplificare tam esse honestum & cum virtute coniunctum; quam vel curare valetudinem, vel robur, vel ceteras corpori pariter insitas vires studio, ac diligentia promouere: neque enim fieri potest, vt pulchritudinis studium flagitiosum sit; si pulchritudo ipsa non modo nemini vitio dari possit; verum etiam laudi. Quibus ego hominibus fateor, atq. etiam profiteor, nos non modo corporis pulchritudinem nulli expro-

brare

brare, quam meritò diligunt, laudantq́. vniuersi; sed ne illa quidem iactare inuidiosius ad eius pretium eleuandum, formam.

Anceps esse bonum mortalibus
Exigui donum breue temporis
Quod velox celeri pede labitur.

Non illa commemoramus, formam nulli viro non magno stetisse, paucis impunitam fuisse, vtq́. inter bona censenda videatur; multorum tamen malorum parentem esse, ne illa quidem ex me audient, non esse sapientis tam fugaci, ac fragili bono confidere, vel etiam gloriari, quod instar rosæ tam facilè deflorescat, vereq́. dictum: nullam diem formosi corporis spolium aliquod non auferre. Etenim, vt flores in pratis vernantes nō modo auara messoris falce sternuntur, aut errantium iumentorum petulcis insultibus conculcantur; sed etiam solis,

cuius

cuius primo excitantur aduentu, meridiana interimuntur instantia: ita venientis ætatis iucundissimus decor non modo hostili ferro, aut morbi sæuitia, sed eadem, qua adducitur die, aufertur. Non iterum cõtendam, virilem pulchritudinem muliebribus ijs lenocinijs non contineri, quibus fœdatur: sed præstanti palestræ, militiæq́. laborum, atq́. operum exercendorum facultate constare, cui non plebeius, aut fœdus; sed iucundus accedat aspectus; ille nimirum, qui reliquam pulchritudinem, hoc est vegetas corporis vires, ipsumq́. animi robur accendat, ac pręferat, non qui sua mollitudine obscuret; vel etiam penitus extinguat. Ne illud quidem, quamquam est grauius, monebo: animi pulchritudinem quærendam esse, non corporis, & melioribus studijs augendam, quàm pectendis, vibrandisq́. capillis. Date hoc mihi, Aud. vt hanc tantam iacturam

orationis,

orationis, nec ſanè vulgaris facere liceat; eoq. proficiſcar, quò me nuper cõmemorata comatorum defenſio prouocabat. Ita ne verò; quia pulchritudo munus eſt Dei, quod de ingenitæ ſibi formæ theſauris depromptum, naturæ nobis manibus largitur; vel etiam infinitæ illius pulchritudinis, cuius intuitus ſumma hominis felicitas eſt, ac meta virtutis, non obſcurum exemplar naturæ quidem coloribus, ſed Dei penicillo, atq. artificio elaboratum; non erit flagitioſum colore, ferro, igni diuinum opus variare, inuertere, violare.

Quid, ſi hoc eiuſmodi eſſe doceo, vt nemo tandem recuſare iure poſſit, non pauca in hoc vno crimina ineſſe maxima arrogantiæ, iniuriæ, ſacrilegij, maieſtatis diminutæ, perduellionis? Quis enim neget ſummam eſſe arrogantiam, amentiſſimamq. audaciam, manus indoctas, atq. inertiſſimas diuino operi vel

leuiter

leuiter conformando admouere? quid enim est aliud mutare, addere, variare, vel leuiter conformare, quod ab alio effectum est; quam improbare opus, reprehendere auctorem, vituperare consilium, artificem emendare: atqui diuino operi temerarias admouet manus, vel etiam infert violentas quisquis eam, quam sibi natura largita est vultus, totiusq́. capitis, ac corporis speciem vnguentis, pigmentisq́. & vario capillorum flexu, tamquam Circęis succis, aut præstigiatorũ caracteribus vertit. Etenim cum totius vniuersitatis rerum, causarumq́. omnium inter se consertarum, quam naturæ nomine appellamus, constitutor, atque auctor sit Deus, idemq́. singulis non modo id præstet, quo aliquid efficiunt, verum ijsdem etiam ita se adiungat, vt plus ille ad cuiusq́. rei procreationem conferat, quàm ipsarum causæ priuatę: num cui dubium esse poterit

terit,quin Dei opus sit,quicquid à natura proficiscitur? Capillos itaq.,quos natura simpliciter fundit; ferro, igni, coloribus, vnguẽtis inuertere quid aliud est; quam diuino operi manus per summam artificis iniuriam admouere? Edit natura, Deo duce, capillos, vt à nobilissima corporis parte,arce scilicet mentis, huius Microcosmi cælo, cæli asperioris iniurias propulset;vt turpem capitis nuditatem cohonestet; non vt in annulos, aut nodos torti, & corymborum instar dependentes festiuam semper, ac ludibundam pronunciẽt ceruicem; vel supini,refugiq. vndiq. suo auro caput coronantes,mollissimo cuiq. deferant regnũ; vel inuerecundæ frontis marmori alludant, vel illudant speculo, atq. oculis suis, vel blandiantur alienis; vt planè non supergredi conentur naturam, sed vitiare; qui, quod ipsa necessitatis ergò parere instituit,in delicias,luxumq. tra-

ducunt

ducunt. Scilicet natura in crinibus ambitiosa eſt, aut luxum quærit, quæ ad illorum procreationem abiecta, dãnataq. materia abutitur; naturę, itaq. adeòque ipſius Dei conſilium non modo arrogans, & iniurius; ſed penè etiam blaſphemus reprehendit; qui rem ab ipſis ſeruitute mulctatam penè ſolam in delicijs habet, ſolam ſibi ornamento, atq. honori eſſe putat.

Hanc verò iniuriam, quam capillorum cultores Deo cogitatione, ac re ipſa faciunt, eo etiam magis exaggerant, quòd id, quod diuino operi adijciunt, non niſi ab infenſiſſimo Dei hoſte, à malo ſcilicet Dæmone mutuantur: vt enim quod naſcitur opus Dei eſt; ita quod fingitur, Diaboli negotium eſt; niſi fortè mendacij parentem illum extitiſſe minus apertè ſacræ literæ prodiderunt; aut non idem fictè agere homines docuit, qui docuerat loqui; aut alius exter-

nam

ňam corporis ſpeciem mutare monſtrauit; quam qui intimam eiuſdem animi pulchritudinem malitia, & ſcelere deformauit: aut demùm non iſta omnia idem ipſe perſonatus admiſit. Ille ille huiuſmodi capillorum compoſitiones, ceteræq́. formæ lenocinia dubio procul diuino operi adiecit, vt in nobis diuinæ ſpeciei manus inferret, & imaginem, quam in ſe primum corruperat; in nobis etiam contumelioſius violaret. Quod eſt quæſo, diminutæ maieſtatis crimen, Auditores, ſi hoc non eſt? Hominũ imagines, quòd ipſis abſentibus ſuccedunt vicariæ, adeò coluntur religioſè, vt propè maior imaginibus, quam hominibus ipſis honor habeatur; ideòq́. ſi quid in ipſa commiſſum ſit, ſceleris magnitudo ex perſonæ dignitate æſtimatur; vt diminutæ maieſtatis accerſantur, qui illorum, penes quos regium ius, ſeu maieſtas reperitur, imagines paulò incurio-

ſius

ſius tractauerunt. quale porrò flagitium cenſeri debet Dei ſummi rerũ omnium auctoris, ac moderatoris imaginem, non fictam, ſed natam; veram, non adumbratam; non mortuam, ſed viuentem, ſpirantemq́.; qua nihil eſt, vel re ipſa præſtantius, vel Deo gratius, communicato cum teterrimo graſſatore conſilio, ac ſcelere labefactare? liceat mihi illos verbo ſatis rei conſentaneo, perduelles appellare; qui communi Dei, atq́. humani generis hoſti ſe adiũgunt, qui eius vſurpant inuenta, & quaſi teſſeram cum illo conferunt. Quis miles ſi mutuetur inſignia ab hoſte Imperatoris ſui non fugam, ac defectionem meditari videatur, non transfuga exiſtimetur? Atqui non modo cincinni, & cetera leuiſſimi capitis argumenta, quod diximus, ſed ipſum etiam cincinnati nomen de inferni Imperatoris caſtris erupit. legi ego in Cæliano antiquitatis theſauro, Cacodæmoni

dæmoni, quem tota ferè Italia de mulieris vtero loquentem audiuit Cincinnato nomen fuisse: hacq. illum appellatione gestientem inclamantibus ita responde-re solitum fuisse; vt de præteritis, ac præsentibus responsa daret mirifica, de futuris verò egregiè mentiretur. Ite igitur, Adolescentes elegantissimi, ite inquam, curate frontem, comam nutrite, inungite, discriminate, inurite calamistros, cincinnos qua in annulos torquete, qua in cochleas sinuate. Ite noua gloria dæmonum, inferorumq. deliciæ, ad illius vos arbitrium fingite, qui ad vestrum nomen exultat, ac gestit; sumite de illo nomen, cui dedistis, & sub quo, veluti authoramento suæ vos ille militiæ adlegit. Sed illud interim cogitate, non licere vobis amplius sub Imperatore Christo stipendia mereri; nec insignia modo esse vobis; sed etiam nominis societatem abijciendam. Etenim

in Christi castris edictum est, hostium in numero habendos esse non eos modo, qui cum hoste consilia, ac studia, nomẽq. communicauerint; sed eos etiam qui minimè sua cum Christi consilijs, studijsq. coniunxerint. Nec sanè mirum; cum in Romanis etiam castris Rege Tullo Metius Suffetius Albanorum Dux, vel eo quod inter Fidenatem, Romanamq. rem ancipitem animum gessisset, quadrigis in diuersa incitatis discerptus sit. Quomodo verò Christi dicta custodiant, qui corporis lineamenta non retinent. quã aliena sunt illa à nostris disciplinis, quã Christiano nomine indigna, fingere pulchritudinem, quibus simplicitas omnis indicitur; fronte mentiri, quibus lingua non licet; coronare caput, quos animi demissio commendat; aurum crinibus æmulari, qui cinerem iubemur adspergere; speciem exercere, quibus, & suæ, & alienæ pudicitiæ studium esse debet;

promit-

promittere capillum, ferroq. torquere, quibus iam diu minitatur Deus, *decaluaturum se aliquando verticem filiarum Sion, futurumq; ipsis pro crispanti crine caluitium?* vt non immeritò gloriosissimus athleta Christi Tiburtius Torquatum, etsi Christi nomen, ac religionem, apud Iudicem profitentem grauiter obiurgauerit, quasi immerito se Christiano nomine censeret, cum capillos super apicem frontis tonsoris arte componeret: & Clemens Romanus Pontificia auctoritate edixerit, non licere Christiano comam nutrire, non in vnum colligere, non effundere, non curuare, vt repanda intumescat, non discriminare; vel carptim calamistro crispare, cum etiam Deuteronomij lege Iudæi prohiberentur Sisoem facere, ideſt cincinnos, vt septuaginta interpretes reddiderũt. Ita, dubio procul, institutus fuerat Clemens ab Apostolorũ Principe, eodemq. magistro suo Petro,

cuius pleraq. dicta non memoriæ tantum, sed etiam literis commendauit; cum alioqui Petrus suis etiam ipse monumentis vna *plicationis* voce, vt Clementis illustrator obseruauit, omnes crinium compositiones interdixerit omnibus, qui Christiano nomine censerentur. Recusent ergo, si possunt, comati, quominus à Christo ad communes hostes transfugæ, ac perduelles existimentur; si contra edicta primorum Christianæ militiæ ducum prauis inferorum disciplinis imbuuntur.

Sed quid ego tamdiù comatorum hoc scelus ijs nominibus appello, quæ ad vulgaria etiam flagitia, quibus humana iura violantur, adhibemus; cum præstò illa esse possint, quibus iniurias grauissimas intelligimus Deo factas? Illud tamen dico, quod, & puto esse verissimum, & facile posse oratione persuaderi, mollem huiusmodi capillorum cultum à sa-

crilegio non abesse. Quid enim? quia omnium diuinorum templorum augustissimi, ac religiosissimi, quod Deus suis ipse manibus extruxit, ornauitq. mirificè, æternumq. sibi domicilium esse voluit, sanctitatem violat, ac religionem. Templum hoc Dei religiosissimum nos ipsi sumus, Adolescentes (si quidem penes Paulum peritissimum rerum diuinarum interpretem fidem esse maximam, vt par est, arbitramur) illato semel in nos de sacro fonte sublatos Spiritu sancto, ac conseruato, huius templi æditnam, & antistitem pudicitiam destinatam esse; quæ nihil, non dicam impurum, aut turpe; sed etiam profanum patiatur inferri; ne Deus ille, qui habitat, inquinatam sedē offensus derelinquat, nemo, opinor, inficiabitur; qui, & quem vterum nasciturus Deus elegerit, in quo nouem mensibus habitaret, & quos grā-dior factus singulari amore complexus

ſit, vel ſemel cogitauerit, & veterum Ecclesiæ Patrum monumenta quandoque attigerit, & demum aliquid vidiſſe putet ethnicorum Sapientes, qui ſuarum religionum maximas, & pignora imperij apud ipſos duraturi Palladium ſcilicet, ignemq. ſacrum, quem inſtar cæleſtium ſiderum cuſtodem imperij vigilare arbitrabantur, non niſi virginibus colendum dabant, earumq. impudicos, ſi quos admiſiſſent, complexus, non modo funere, ac ſepulcro inceſtæ adhuc viuentis, ſed publico totius vrbis ſilentio, luctuq. expiabant. Quare quicquid pudicitiæ diſciplinis obſtrepit, neceſſe eſt, etiam templi, cui illa præeſt religioni aduerſetur. Iam verò cui dubium eſſe poteſt, quin cum omne ſtudium formæ, ac nitoris augendi, vel oſtentandi, tum verò molliſſimum illud capillorum componendorum eiuſmodi ſit, vt à pudicitiæ diſciplinis vehementer abhorreat?

reat?

reat? Errant, mihi credite, & vehementer errant, si qui putant, pudicitiam sola carnis integritate, & stupri declinatione contineri, nec quidquam interesse, quo quisque oris, ac totius corporis habitu ingrediatur. Ornatus ille operosus, illa cincinnorum insignia Veneris militiæ sunt propria; cui rei argumēto est, quòd illa nemo suo studio, ac voluntate arripit, nisi posteaquam virum se, illiúque militiæ maturum esse pręsensit: eademq́. vicissim abijciunt; quibus, vel pudicitiæ, vel sanctioris vitæ amor, vel studium Deo placendi suboritur: nihil vt dici verius possit, quàm non de integra conscīētia proficisci voluptatem illam alienis oculis blandiendi. An verò pudicitiæ non repugnat formam, vel fingere, vel ostentare, quæ omnino superuacanea est, vbi pudicitia reperitur? cuius vsus, & fructus sine luxuriæ sordibus nullus extat? quam suapte natura ad libi-

dinem incitamento esse,nemo non sentit? non illi suam his artibus formam colunt, quibus placet aliena? Quid quæso minus in capillorum compositione lasciuiunt infelices illæ publicarum libidinum victimæ? quid in te excitas malum, à quo te profiteris alienum? quid castæ mentis integritas alterius suspicione fœdatur? quid de te credi pateris,quod auersaris? cur non tuos habitus ipse pronunciat mores? formam non illi venditant suã, qui alienam mercantur? nimis fortasse vrgeo: quare orationis meæ impetum tantisper sustinebo. Nihil est, mihi credite Adolescentes, cur impuris crinium lenocinijs animi pudicitiam prætexamus: animi candorem sæpè corporis sordes commaculant; tanta si quidem est istarum inter se partium affinitas, & coniunctio; vt alterius vitia ad alteram quodam veluti cõtagio se se extendant, nec animi res po-

test non agi, paries cum corporis proximus ardere ceperit. Quid enim aliud, quam mollitudinem, luxumq. ebibat animus oculis, ac manibus continuè inter pectinem, ac speculum, inter calamistrum, & capillorum cinnos occupatis?

Quamdiù ego dissimulo, quod à sapientissimis quibusq. publicis literarum monumentis consignatum fuit? quis illorum vnquam extitit; cui comptum caput, & capilli compositi effœminati animi, ac mollis, intemperantis, ac luxuriosi suspicionem non attulerit? quis comatus impudicitiæ infamia apud illos non laborauit? quis in Agathonis Thyeste non aliquando legit, *mox testes libidinis comas, totundimus animi solatium prostrati?* cui vel de nomine notus est Plautus, qui nesciat, Plauto *mæchum, ac cynædum esse, quisquis est cincinnatus?* Illam verò grauissimam æquè, ac acerbissimam Archesilai sententiam, qua diuitem

tem alioqui castum, & integrum; sed tamen vocem infractam, capillumq. arte compositum, & ludibundos oculos, atq; illecebræ, voluptatisq. plenos præferentem obiurgauit, non existimo pudoris esse mei hoc in loco commemorare. Vos ego, Adolescentes, ad Ciceronis, quem quotidie præ manibus habetis iudicium prouocabo, qui Gabinium, cui exprobrauerat capillum madentem, & comptum, cincinnorum fimbrias, & fluentes, cerussatasq. buccas, eundem mox saltatorem, & ganeonem appellat, in lustris, ac helluationibus commorantem, Seplasia dignum, & Capua illa vetere luxu, & delicijs diffluente: & Lucium Pisonem acerbè perstringit, & valdè admiratur, quòd cum tali viro ausus esset cõsilia communicare, quem ex fronte calamistri notata vestigijs impurum esse dubitare non posset, adeò vt ad eius scelera omnia in memoriam reuocanda satis

tis

tis esse dixerit vultum, orà, atq. oculos intueri, quòd soleret vnguentis affluens, & coma calamistrata despicere cõscios stuprorum, & vexatores ætatulæ suæ. Quid ego amplius commemorem, vel celebratum illud Sinesij prouerbium. *Nullus Comatus, qui idem non sit Cynædus*, vel Clementis Alexandrini irrisionem cincinnos *cynædicum fastum* appellantis, vel Tertulliani grauissimas suspiciones conijcientis, signa illa esse pudoris non solum destituti, sed etiam prostituti, *quòd gratiam naturalis decoris suæ societate non solum maculant, sed etiam prostituunt*, & veluti quidam tituli venalem pronunciant, vel demum aliorum reprehensionem, videri illa esse *indicia pudicitiæ naufragantis*. An vero Minucia vestalis virgo anno post vrbem conditam quadringentesimo decimo octauo, propter mundiorem iusto corporis cultum primo suspecta, insimulata deinde

apud

apud Pontifices, quorum decreto iussa esset sacris abstinere, familiamq. in potestate habere; facto iudicio viua sub terram defossa non est, populo eius incestum fortasse non admissum, sed cogitatum vsq. adeo execrante; vt campum ipsum deinceps fecerit Scelerati nomine infamem? quos ergo mores licebit conijcere ex tam ambitiosè cultis adolescentum comis, cum, & cultus quilibet corporis tanto sit in viris suspiciosior, quanto est indignior sexu, quem non hisce ineptijs ob animi leuitatem natura damnauit; sed grauioribus humanæ vitæ negotijs destinauit: eoq. sit turpius capillum molliter curare, quam vestes ornare; quod vestibus ea tegimus, quæ natura voluit occultari; coma verò promissa, non secus ac laxiore, laciniosoq. capitis velo abutimur ad frontem, & genas infausto sane omine obnubendas; quarum partium nuditate natura non huma-

humanitatem modo prę ceteris animantibus; sed etiam vrbanitatẽ præ siluestribus, rusticisq́. hominibus; simplicitatem, & candorem prę dolosis, ac malitiosis ita profitetur; vt agrestis, belluini, disciplinæq́. expertis argumentum esse putent Physiognomici, paulo minorẽ, aut alius; quam par sit figuræ frontem pilis vacantem à natura relictam esse. Nostri verò comati satis se pulchros esse nõ putant; nisi hanc quoq́. sibi maculam quærant, vt præter naturę consilium redundantes sincipitis crines in frontem deriuent. Quare si quidquid pudicitiæ aduersatur, id quoq́. sanctissimi huius templi, cui ipsa præest, violat religionem: hæ autem crinium tam effœminatæ compositiones, tam multis, vel maculis, vel nebulis pudicitiæ candorem vel denigrant, vel obscurant: profectò hæc crinium, quæ videntur leuissima crimina, à grauissimo sacrilegij scelere non abhorrent.

Atq. vtinam vno se duntaxat crimine adstringerent, quòd pudicitiæ non parcunt suæ; non pluribus, quòd alienæ quoq. inferunt vel vulnus, vel labem. Hæc enim formæ lenocinia, nisi Tertulianus grauissimus auctor mentitur, & vsus ipse nos fallit, perinde atq. *lenones fœdissimi luxuriæ de proximo negotium curant*, nec tam sunt ornamenta, quam militiæ Veneris tela, quæ vel videntibus vulnus infligunt: vt propterea Hieronymus ad Demetriadem scripserit, *cincinnatulos pueros, & calamistratos, & peregrini muris olentes pelliculas quasi quasdam pestes, & venena pudicitiæ Virgini summa diligentia deuitandos esse*. Non sit turpe adolescentibus comam nutrire, non sit virili fortitudine indignum molliter eandem componere, totumq. illud studium pulchritudinis augendæ habeant per me solutum, ac liberum: nullum sit crimen audaciæ diuino operi reformando ma-

nus

nus afferre; Oratoriè dictũ putent, quod cum commuui hoste consilia communicant, quod eius vsurpant insignia, tesseram conferunt, nomen dedunt, sequuntur castra. Diluant suspiciones impudicitiæ vniuersas, totumq́. sacrilegij crimen doceant nostra fuisse oratione confictum. Hoc nulla ratione potest à scelere defendi, quod suis illis illecebris alijs periculo esse solent, turpem scilicet concupiscentiam importare. An leue crimen putatis, quod vestra causa alius concupiscit? An non Deus ipse suam ampliando legem, concupiscentiam stupro exæquauit? An non admissum in animo crimen denuntiauit, si ad id, quod oculis cernitur, pectus exarsit? Ergo impunè abeat, qui concupiscentiæ fuerit causa? perijt ille tua causa: tu nihil ad te pertinere arbitraberis? Dei non vereberis iudicium, nihil de supplicio cogitabis? An verò si tuus equus quempiam

piam

piam interfecerit; si bos aliena sata vastauerit; si à mancipio latrocinium commissum fuerit, culpa vacabis? aut tua non sunt arma, quibus ille miser occubuit? At, enim sua ille voluntate, ac vitio se se induit; Esto. Sed in tua tamen arma, quę non sine vitio, vel leuitate aliqua obiecisti. Vt culpa vaces, inuidiam non sustinebis. Vt cum in alicuius silua latrocinium nefarium commissum est, quamquam dominus reus fieri non potest; tamen vel hoc vno inuidiam subit, quod ea minimè cæsa occasionem sceleri dedisse censetur. Vbi est ergo, *Diliges proximum tuum sicut te ipsum?* Vbi, *Nolite curare, quæ vestra sunt, sed quæ alterius?* Vbi, *Si quis scandalizauerit vnum de pusillis istis?* Vbi deniq. Pauli generosa abdicatio; *Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnes in æternum?* Haud sanè scio, qua fronte Christiani nomen vsurpent,

qui

qui eadem ipsa contra hæc Christi præcepta contendunt.

Videte igitur, adolescentes optimi, num vobis gloriosum existimetis puerilem, aut muliebrem pulchritudinem amare tanto cum dispendio masculæ dignitatis, virilis virtutis, nominis Christiani. Videte, quæso, illa ne pulchritudo censenda sit, quæ pudicitiæ nitorem obscurat, quæ pulcherrimum animum tã fœdis vitiorum maculis dehonestat, quæ possidentibus infert infamiã, intuẽtibus turpes affert cupiditates, quæ à turpitudinum omniũ auctore Cacodæmone proficiscitur. Videte per vestram fidem, num gloriosi vobis esse possint capilli paulo asperioris cutis excrementa seruitute damnata, quibus non licet in carne gloriari, nisi fortè laboribus Christi causa susceptis durata, vel etiã ferro Christiani nominis exactore lacerata. Cædite sylvas vestras blandien-

tium quidem, ſed tamen occidentium ferarũ altrices, periculi plenas, ſi erumpant, ſi lateant, ſuſpicionis. An non incredibilis quædam eſt amentia neſcio qua vmbratili pulchritudine tãtum vobis dedecoris comparare, vt non minus apud improbos, quam apud bonos malè audiatis? Quin potius muliebri hac ambitione abiecta, omiſſoq́. leuiſſimo componendæ comæ negotio ad veram, dignamq́ue homine pulchritudinem incumbitis, quę ex bonarum artium lineamentis, virtutumq́. coloribus efflorescit? Sic habetote, adoleſcentes, tales nos à natura editos fuiſſe, vt eadem nobis pulchriora eſſent, & honeſtiora. Dixi.

Non

Non eſſe in literarum ſtudijs præpropere feſtinandum.

ORATIO.

SI quis veſtrum, N N. aut eorum, qui noſtræ huius Academiæ mores, & inſtituta nouerunt, fortè miratur, quòd cum eius moderatoribus ſapientiſſimis viris non pauci præſto eſſent adoleſcentes, qui calentibus adhuc rhetorum ſtudijs pro digni-

tate possent tum ex hoc loco amplissimo apud vos agere, tum etiam liberos vestros in scholis ad omnem eloquentiã instituere, & erudire; ego potissimum sim iussus, & oratoris, & rhetoris partes suscipere, qui iam diù animum ab his studijs ad alia quædam communi vulgi opinione longè maiora traduxerim; si quis, inquam, hoc miratur, vel etiam veterem fortunæ lusum pro suo arbitratu perinde de consule rhetorem, ac de rhetore consulem facientis, aut Bionem Rhodijs frumentum aspernãtibus, hordeum venditantem subridens commemorat: is si huius consilij causam rationemq. cognouerit, vnà & id quod factũ est probabit, & hodiernæ dictioni meæ patientem aurem, animumq. accomodandum putabit. Equidem arbitror, huius Academiæ, meiq. ipsius moderatores eodem mihi consilio dicendi, docendiq. prouinciam demandasse, quo

ipse

ipse suscepi: quo verò consilio susceperim paucis exponam. Semper ego in ea fui sententia, vt existimarem, neminem posse vel oratoris, vel rhetoris personã vtiliter, & pro dignitate sustinere, qui ad id munus animum triplicis philosophiæ dialecticæ, naturalis, ac moralis prçceptis satis instructum non attulerit. Etenim vt omnis persuasio argumentis, & moribus perficitur, quorum illa ex dialectica, vniuersaq́. sapientia petuntur; hi verò ex ea potissimum, quæ est de moribus; ita persuadendi doctrina, qua dicendi ars penè vniuersa continetur, ex ijsdem philosophię fontibus proficiscitur, nihil vt aliud summi oratoris opinione sit eloquentia, quam copiosè, ornatèq. loquens philosophia. quo circa nec satis disertus orator, nec dicendi artifex satis instructus quisquam esse potest, qui idem philosophicis doctrinis apprimè non sit excultus. Meum certè

in hoc toto negotio consilium illud fuit, vt, quando in illarum artium studijs, e quibus vera existit eloquentia, nulla fortasse laude, nonnullo tamen dicendi, docendiq. labore aliquandiu sum versatus, si minus possem ipse, quod & planè sentio, & apertè denuntio suum eloquẽtiæ robur, ac decus aliqua ex parte restituere, saltem alios re ipsa, & opinione longè meliores meo exemplo à grauissimis sapientiæ studijs, ad veterem dicendi laudem reuocarem. Neq. vero ineptissimorum hominũ obtrectationes mihi pertimescendas putaui, qui nomen tantum eloquentiæ vsurpantes, virium, ac dignitatis penitus ignari transitũ hunc à porticu ad forum, à gymnasiorum silentio, & tenebris ad concionum istos clamores, & fremitus, à philosophicis commentationibus, ad oratorias contentiones quasi defectionem aliquam à studio sapientiæ, intermissionemq. gloriosissimi

riosissimi conatus, vel stultitię damnant, vel leuitatis. Quem enim hæc pungant dicteria; cùm Aristoteles iam sapientiæ principatum tenens Isocratis rhetoris fama stimulatus dicere etiam cæperit, adolescentes docere, & sapientiam cum eloquentia coniungere? cũ Cicero iam consularis, & sanctissimi Antistites (vt ethnicos taceam) Nazianzenus, Cyprianus, Augustinus omni iam doctrinarum genere cumulati rhetorem agere non recusarint? Fabius deniq. non modo id ipse fecerit, sed etiam summo cuiq. sapientissimoq. oratori iam senescenti, & emerito more maiorum faciendum præcipiat? Et sanè à quonam optimi iuuenes oratoriæ facultatis candidati veram dicendi viam velut ex oraculo petant, nisi, quantum fieri potest, ab oratore non modo dicendi præceptis, vt ita dicam, nudis, & inermibus, instructo; sed omnium etiam doctrinarum pręsidio ar-

matis? illos hic formabit quasi eloquentiæ parens; &, vt vetus gubernator, littora, & portus, & quæ tempestatum signa, quid secundis flatibus, quid aduersis ratis poscat docebit: non humanitatis solum communi ductus officio; sed amore quodam operis. nemo enim minui velit id, in quo maximus fuit; nec sua secum omnia interire. sic ad se Cœlium deductum à patre Cicero profitetur, sic Pansam, Hircium, Dolabellam in morem præceptoris exercuit. Vtinam .A. ego is essem, qui hoc de me possem polliceri, & vetera, quæ commemoraui, exempla sanctissima reuocare. Nunc verò, quæ dixi eo spectant solum, vt ne viri liberalium disciplinarum benè docti, ac graues, à quibus non parum emolumenti, ac splendoris potest facultati oratoriæ accedere, imperitorum hominum repræhensionibus deterreantur, quominus nobilissimam faculta-

tem,

tem vel iacentem ſubleuent, vel labentem, quibus poſſunt viribus ſuſtentent.

Expoſui .A. cauſam conſilij tum moderatorum meorum in deferendo, tum mei in ſuſcipiendo hoc munere dicendi, atq́. docendi: quam quia ſatis probatam vobis eſſe confido, venio ad id, de quo mihi vobiſcum hodierna die ſerio deliberandum putaui. ſerio, inquam: iam enim ætas eum mihi animum, ſenſumq́. abduxit, vt velim meæ huius dictionis laborem meliorem aliquem fructum in auditorum meorum animis edere, quam vel voluptatis aurium, vel opinionis, ac laudis. Quin etiam ſæpè dolere ſoleo, & queri, oratoribus, poſteaquam à Ciuitatum gubernaculis ſunt repulſi, nullam aliam in communis, ciuilisq́. vitæ dramate relictam eſſe perſonam, quam vt ciuibus paulò ſapientioribus, quos peregrini ſermonis peritia à rudi vulgo ſecernit, in concionem

aduocatis,

aduocatis, eosdem academica, vt inquiunt, dissertatione; hoc est lepidi alicuius argumenti explicatione omnibus rhetorum ornamentis illustri aliquandiu oblectent; vel grauioribus consilijs, tãquam augurio aliquo, præludant; vel regum cunabula faustis ominibus, vel funera lachrimis prosequantur; vel, quod summum est, rebus feliciter gestis gratulentur, deq. republica benemeritos laudibus in cælum efferant; quasi oratoris, perindè, ac præconis sit non præclara agere, sed vulgare. Mihi certè A. constitutum est, hodiernæ dictionis laborem non voluptati prurientium aurium impendere; sed literarum studiosæ iuuentutis vtilitati. Quare cum viderem, id quod luce clarius est, liberales doctrinas in interitum ruere, ijsq. leuiter quidem pallio tenus, vel toga aspersos, plurimos si vnquam; nauiter autem excultos, solideq. doctos multo, quam

priscis

priſcis temporibus pauciores in dies reperiri; animaduerteremq́. id eo accidere, quòd diſcentes nimia vtantur celeritate, quam vt doceri omnia poſſint, quæ oportet, aut eorum, quæ didicerint, opinione firmari, vireſq́. facere, quas augere non iam pigeat, ſed delectet; e re publica me facturum exiſtimaui, ſi præcipitem hunc ſtudiorum curſum, quibus poſſem viribus retardarem, ſuaderemq́. nihil æque perniciosum eſſe diſcentibus literas, nihil vigilantius cauendum, quam præproperam feſtinationem.

Apertum eſt. A. & ante omnium oculos poſitum, quod accuſo, diſcentes nimirum vltra quam ſatis eſt feſtinare, & eas facultates, quibus profitentur ſe dare operam, quaſi per tranſennam prȩtereuntes ſtrictim aſpicere potius, quam otiosè, curioſèque ſcrutari. Traduntur pueri iam ſeptennes grammatico prima eius artis rudimenta docendi, quæ penè

in nutricis ſinu poterant cum lacte ſuxiſſe, ad crepundia promerenda: ſed qui ſerius literarium iter ingrediuntur tanta illud celeritate conficiunt, vt eos viceſimus ætatis annus tacta iam meta quieſcentes offendat, & togatos vel inter reipublicæ patres de iure, & iniuria reſpondentes, vel inter viuendi arbitros, humanæ vitæ ſtamina metientes. Etenim humaniorum literarum ſpatia viæ compendio contrahunt lubrico, & ad ſingulos ferè paſſus veſtigia fallente; amœniſſimos verò eloquentiæ hortos, perindè ac libycas arenas, vno impetu tranſeunt, & multiplicis philoſophię latè patentes, ac fœcundiſſimos campos, vel errore prætereunt, vel formidine, tãquam circęa littora pręteruehuntur. Nec ſegniores reliquum iter à Iuſtiniani, & Galeni biuio conficerent, niſi certa temporum ſpatia conſtituta eſſent, quæ curſu præuertere non modo legi-

bus

bus; sed etiam sacramentis prohiberentur. Quasi verò in literario stadio illa inconsultorũ poetarum lege curratur, vt

Occupet extremum scabies, sit turpe relinqui.

Quo sanè spectat leuissima illa nec infrequens de præmatura laurea gloriatio. Atq. vtinam interim computarent annos, quibus studuerunt, non quibus vixerunt. Etenim huius ipsius breuissimi temporis, quo præceptoribus dant operam, quantulum est, quod studijs impendunt? malo hoc .A. in vestra opinione relinquere, quam in oratione mea ponere; neq. enim discentium vitia perstringo, sed consulo vtilitati. Alias horas vana ornandi totius corporis cura, alias reficiendi, alias pulsandi, saltandiq. voluptas, alias fictæ pugnæ studium occupat: plurimas mutuæ salutationes, amica colloquia, & datum fabu-

lis

lis otium trahunt. Adijce tot genera ludendi, ſpectacula in dies noua, amicas iuuenum curas, ſimultates. Si quid reliquum eſt, quod non vendicet ſomnus, id ne idoneum quidem eſt ſtudio, animo ſcilicet turbidis cogitationum, affectionumq́. motibus æſtuante. Et tamen ſtudendi ſub magiſtro fit finis, cingitur caput lauro, domitæ nimirum inſcitiæ trophęo, immortalitatis argumento; à palęſtra in arenam; à gymnaſijs in curiam; à diſcendo ad agendũ deſcenditur. Hanc ego præcipitem feſtinationem liberum veſtrorum diſcentium, quam nemo illorum voce, mente, vultu, totoq́. corpore non confitetur, accuſo, ſapientiſſimi ciues, culpo, repræhendo, & tamquam veræ ſapientiæ perniciem, ac peſtem, ne ſolertiæ quodam nomine latius manet, cohibendam puto.

Ea ſiquidem humanæ mentis eſt conditio, ac natura, vt, quãquam ita ſit agilis

lis,& velox, vt & vno temporis momento totum orbem prӕteruolet, eatq. ocyſſimo quodam cogitationum fluxu per innumeras rerum formas,

Sicut aquæ tremulum labris vbi lumen aënis
Sole repercussum, aut radiantis imagine lunæ,
Omnia peruolitat latè loca,

& ne possit quidem aliquid agere tantum vnum; sed in plura simul vim suam impendat tamen nisi in singulis cogitationibus insistat quamdiù est opus, vt eas nescio quomodo elaboret, perficiat, & quasi altius imprimat, perindè facit, ac qui in puluere aliquid, vel aqua describit. eadem enim celeritate obliterantur ex animo, qua illi fuerant vtcũq. impressæ, &, veluti præsenti officio functӕ nihil in posterum debeant, tamquam dimissæ discedunt. Sanè recentem, & quasi festinatam memoriam minus fidelem

lem esse, contra vero confirmari eo ipso tempore, quod esse solet in causa obliuionis, & magis hærere animo, quæ diutius affixa fuerint, quotidianis deprehendimus experimentis. Mirum dictu est, nec facilè in promptu ratio, quantum nox interposita, etiam otiosè somno traducta, afferat memoriæ firmitatis: siuè diurna mentis agitatione fatigatus, ac languens animus rerum imaginibus conniueat, eiusq. acies assidua illa tractatione hebescat, nocturna verò quiete refectis, resumptisq. viribus, ad consueta munia vegetior redeat; siuè tumultuoso rerum, quas interdiù vidimus, audiuimus, aliauè ratione tractauimus, occursu huc, illucq. distractus à certi operis intentione eo tandem tumultu per somnum verius, quam lethęi fluminis traiectum inutiles curas multas ex animo delentem sedato, vim suam omnem ad illud vnum intendat: siuè deniq. ipsę
mentis

rerum imagines promptissimo sensuum mentis satellitum famulatu ad eiusdem mentis ęrarium deportatæ primum agitentur, & fluctuent, nec, nisi post moram aliquam certis locis, ac sedibus disponantur: quidquid, inquam, hoc causæ sit; illud profectò certissimum, quæ statim referre memoria non poterat, postera die facile repreſentat. Nimirùm vt stomaco, sic etiam animo alia vis est ad capessendum cibum; alia ad retinendũ, coquendumq́. illa promptior, hæc fortior: hæc, sine illa, nulla esse potest; illa, sine hac, inanis est labor, frustraq́. discimus multa; si quidquid discimus, præterlabitur; vt meritò dicat Seneca, similes nos esse peregrinantium, qui notos quidem sibi habeant plurimos, amicos autem perpaucos.

Ne illud quidem prætereundum puto, quæ nimia celeritate discimus non modo statim effluere, sed ne satis quidẽ

rectè illo in transitu percipi: sed vt pronunciatione ij, quibus cogitatio velocior est, quàm vt eam linguę motus consequi possit, quædam verba non integrè sonant, sed aliqua parte mutila; quædam proximis miscent, & ex alijs faciũt alia; sic ipsa etiam rerum inquisitio, & commentatio si concitatior sit, quàm vt singula, quæ insunt rebus, sigillatim recognosci queant, vsque adeò confusè, & turbidè concipimus omnia, vt nec modicè similia satis ab inuicem separemus, nec à veteribus noua, sed aliud alterius imagine illudat menti; vndè non raró error, frequentissimè dubitatio existit festinantibus nimium, & plusquam possunt audentibus. Neq. verò alia de causa vel pueri, vel corpore valdè parui, vel sanguine calidiores paulò abstrusioribus intimæ sapientiæ studijs minus esse solent idonei, quàm adulti, vel mediocres, vel temperati, quam illa satis inter

secre-

ſecretioris naturæ interpretes vulgata, nimirum quia ſpiritus, quo ad intelligendum vtitur animus, celerius in illis agitatur, & fluit, refluitq. perpertuò, in pueris quidem, eo quod humor exuperat,& copioſius aluntur, in paruis autẽ, ob breuiorem ipſius ſpiritus à corde ad cerebrum traiectionem, in ceteris denique, quia calore nimio efferueſcit; eoq. fit, vt cum ſpiritu rerum quoq. imagines cito præterfluant, muteturq. non modo cogitatione,ſed etiã cupiditate animus, priuſquam certa opinione firmetur, nec vlli vnquam operi ſatis inſiſtat. Lentè itaq. feſtinet diſcendo animus, & tanquam bos laſſus, fortius figat pedem,vt ne cum ipſo ſua abeant veſtigia, veluti ceruorum cum latratu canum audito ſecunda aura fugam capeſſunt;ſed ita manifeſta poſt ſe relinquat, vt poſſit olim relegere. Nullus,quod ſciam, vnquam negauit, humanum ingenium ampliſſi-

mum esse vas,& propè infinitæ ad rerum notiones continendas capacitatis: sed tamen asseruere complures, angustum illi esse osculum, collumque sinuosum, quod si largiore haustu velis ingurgitare, nihil efficias, si paulatim infundas, nihil omnino non capiat. Terræ etiam sicciores,quibus nihil imbre gratius potest accidere, quo nimirùm veluti marito grauidatæ multiplici prole maculam sterilitatis abstergunt; eum tamen si vehementius ingruat, non vt maritum admittunt; sed vt defloratorem statim deonerant. Nullus itaq. vsque adeò ingenij celeritate confidat; vt non eiusdem aliquando firmitatem, constantiamque desperet. Ideoq. festinet quidem sed lentè; eat semper, sed ita,vt nihil prætereat,currat,non pręcipitet; meminеritq. semper omnem humani motum ingenij, consiliumq. delphino iuxtà, ac remoræ similem esse oportere; sed illi quidem

anchoræ, huic verò sagittæ aduolutis; magnamq́.esse laudem celeritatis, modo sit felix, morę, nisi sit otiosa, non mediocrem vtilitatem: magnos extitisse Alexandrum, Pompeium, ac reliquos; quod belli famam victoriæ celeritate præuerterent; maximum verò Fabium, quòd Romanum imperium cunctando restituerit; nec sine causa dictum, Alexandrum ideò magni nomen fuisse consecutum, quia cum maximis, & cunctatoribus non pugnauit.

Hanc ipsam, qua de agimus, humanæ mentis conditionem, vt non nisi cunctãdo doctrinæ præstantiam consequatur, longè clarius, & tamquam in speculo licebit intueri, si non ipsa per se spectetur; sed ex aduerso doctrinarum, quarum est capax. Etenim si cum ijs conferatur, planè constat, non quamlibet doctrinã cuilibet ætati congruere; sed aliam alij. Quare, discentibus non ita esse festinan-

dum, vt ſingularum ætas non expectetur. Quid quæſo .A. tam fœcundum, atq. vber, quam terra, quæ ſemel in ipſo naſcentis orbis exordio, vel vno ſui conditoris verbo ſata nullum vnquam pariendi finem, vel fecit, vel eſt factura, quamdiù orbis iſte Dei verbo conſtiterit? pariendi, inquam, non vnum aliquod rerum genus; ſed omnia? verè communis parens, nec fœcunda ſolùm; ſed etiam felix, quæ ſuis fœtibus ſemper ſuperſtes nullam vnquam timet orbitatem: cum ipſos immutabili lege alterna redimat morte, eodemq. vtatur & cadentis tumulo, & vtero renaſcentis: nec rarò lernæam Hydram repreſentet, cui vno demeſſo, denſa capitum repullulet ſylua. Terra itaq. quamuis feraciſſima rerum omnium parens, an quemlibet fructum, qualibet anni ætate fundit ex ſe ſe etiam ſolertiſſimi ſatoris laboribus non culta modo; ſed etiam fatigata? quis

quis vnquam hieme cum arua gelu inhorrefcunt, arbufta pruinis rigent, montes niuibus exaggerantur, liquores non nifi ignibus redeunt, amnes glacie negantur, cælum vel tetra caligine foli eft inuium, vel non nifi aquilonibus peruium, vel terram vidit herbefcere, vel frondefcere arbores, vernare flores? quis vere, vel de arboribus poma, vel de palmitibus racemos pendere? habet terra fuas ætates, & quidem breues, quippè quas annus facit: nec eo eft immortalis, quòd non fenefcit; fed quia renouatur, eo Phœnice felicior, quòd citrà interitum. Harum itaq. ætatum videte A. quam religiosè modum, & quafi iura retineat, nec omnes vni, fed fuos cuiq. fœtus impendat. Etenim vere (quæ anni puerilis eft ætas) non nifi gemmas, folia, & flores parit, & omninò fructuum, vel ornamenta, vel præfidia, vel rudimenta, quæ fpē excitent, alantq.

in meliorem ætatem; Vbi verò Æstas tamquam iuuentutis ardor accessit, videas meliores fœtus vbiq. se prodere, & in dies grandescere, quosdam etiam non solidissimos ad maturitatem, & messem peruenire, quam reliquis affert autumnus robustæ, perfectęq. ætatis exemplar. Si secus faciat, hoc est si vteri impatiens, hieme nondum elapsa, suos incipiat fœtus ad lucem perducere, si gemmis turgescere, si floribus, folijsq. conuestiri, non illa fœtum edit, sed eijcit abortum ventis, ac frigoribus ludibrio futurum. Habet, mihi credite A., humanum etiam ingenium ætates suas: & vt cum corpore venit ad lucem, ita cum eodem primo quidem quasi infans vagit in cunis, indè per reliquas ætates pergit ad senectutem, quarum aliam studia alia deposcũt. Etenim quamdiù tanta præditũ est mollitudine, vt rerum imagines per sensum occurrentes facilè recipiat, & alieno arbitrio

bitrio fingatur, formeturq́. ; per se ipsum autem vel nihil, vel certè parum possit efficere, ideòq. solis penè memoriæ viribus vtatur (quæ illius est pueritia, & primus verni temporis nitor) nihil omnino prȩter verba, sermonisq́. ornamenta satis vtiliter didicerit, folia nimirùm, & flores rerum, vel doctrinarum. At vbi robur, & vires fecerit, cœperitq́. tamquã æstiuo iuuentutis calore efferuescere, tum demùm grauioribus Dialecticȩ, naturalisq́. philosophiæ disciplinis operam non inutiliter dabit. Philosophiæ demũ moralis non prius idoneus erit auditor, quàm ad virilis autumni maturitatem ingenium, animusq́. deuenerit; seq́. ex efferuescentium affectionum, & cupiditatum æstu, quo recti, honestiq́. iudicium corrumpi solet, in modestiæ quendam portum subduxerit. Id quod non Aristoteles modò disertè docuit; sed etiam Plato non obscurè insinuauit

breui

breui illa epigraphe, qua Geometrię expertes, vel primo Academię arcebat ingressu. Id enim, vt acutè est interpretatus Marsilius, non solum de lineis; sed multò etiam magis de affectuum debita mensura voluit intellectum. Quod si morum doctrina non nisi in animum paulò maturiorem cadit, quid erit de ciuili scientia, atque adeò de iuris, legumq. prudentia dicendum? Etenim ciuilis scientia, quam politicam vocant morum doctrinam vniuersam complectitur, cum ciuilis homo sit, qui non modo ipse bonis moribus præditus est; sed etiam vt tales reliqui sint ciues curat; eoque prudentior esse debet, quò non quid vnum aliquem; sed quid quemq. deceat, & de iusto, & æquo; de bono, & honesto vniuersè decernit. Habet itaq. animus etiam, habet ingenium, habent literarum studia ætates suas, non humano arbitrio; sed ab ipsa natura constitu-

tas

tas lege vſq. adeò certa, quàm nec eadem ipſa impunè violet. Etenim ſi eas ingenium naturæ beneficio velocius anteuertat, nemo non illo Mediolanenſis poetæ emblemate malè illi ominetur,

Cur properas folijs præmittis Amygdale flores?
Odi pupillos præcocis ingenij.

Vulgò enim penè apud omnes creditum eſt, quòd antiquiſſimi ſcriptores Actius, & Gellius teſtatum reliquerunt, & exempla confirmant, vt poma, ſic etiam ingenia præmatura, breui putreſcere, ſiuè quia in ſtuporem, vel inſaniam incidunt, ſiuè quia morte præmatura tolluntur. Fidem inter ceteros fecit Hermogenes, cui cum vix dùm pubeſcenti tantum ingenij, memoriæq. natura tribuiſſet, vt admirationi eſſet omnibus, & annos natus octodecim artem rhetoricam conſcripſerit, quam nemo

non

non commendaret; Vbi tamen quartum & vicesimum annum attigit citrà omnem, quæ quidem si proderet, causam, in stuporem incidit mentis,rerumq́. omnium obliuionem. Quare natura quæcumq́. siue diuturniora,siuè firmiora esse cupit, ea non celeri nimium; sed maturo artificio elaborat. Non dubito A. quin orationem meam vestra cogitatio præcurrat, & multa, quæ hoc à me loco dici possent ante prouideat. Scita omnibus sunt illa, cucurbitæ aduersus pinum de proceritate gloriatio, primæ hiemis cõmemoratione repressa: pręcoces fructus plerumq́. fatuos; animalia grandiora vterũ diutiùs gestare; properatos fœtus vel abortus esse, vel parte aliqua vitiatos,vel viribus destitutos:nec sine causa iactari prouerbio, canem festinantem cæcos parerę catulos,nihilq́.,quod præter consuetas naturæ leges contingat, esse posse diuturnum. Quid verò A. si

non

non naturæ, hoc eſt præſtantis ingenij, beneficio, ſed domeſticis rationibus, vel laboris impatientia, vel liberioris vitæ cupiditate, vel demùm gloriolæ auiditate illę ſtudiorum ętates perturbentur. Erit ne ab huiuſmodi hominibus expectandum aliud, quam vt de literario ſuo tàm breui curriculo ſordidi potiùs, quã de palæſtra exercitati, vbi ad agendum in forum deſcenderint, tyrocinium debeant clientibus, iudicibus pytagoricum quinquennij ſilentium, ludibrium vniuerſis? Quis enim riſum contineat cum videt illos nec dum mento virum præferentes nitentem indutos togam; *vt percuſſa leui ſtrepitantem bractea vento*, benè ſemper olentem, venantem oculos, irritantem amores, in qua nulla ruga, niſi ab arte, nullus ſinus niſi compoſitus, curiam frequentare, curſitare per forum, ſe iure conſultiſſimos profiteri, aucupari clientes, quibus *clamoſi*

rabioſa

rabiosa fori iurgia vendant, iras, & verba locent. Nec tamen (ò rem ridiculam, & Catonis dignam cachinno) à cliẽtibus, aut domi frequentari, aut in foro ſtipari, illarum inſtar virginum, quæ quod nemini placeant, ſemper nupturiunt, nunquam nubunt? nemo enim eſt, qui non ab ſene, vel ſaltem ab homine conſilium petendum putet? nemo, qui tyronculorum operam in cauſa alicuius momenti, vel obolo conducat, quos ego nec de ſtillicidijs quidem, aut impluuijs paterer meis ſumptibus in foro rixari.

At enim pudenda, inquiunt, res eſt in magiſtri diſciplina conſeneſcere, & non modo barbatum, ſed etiam caneſcentem ad agendum deſcendere. Sed vbi nam gentium quæſo conſuetudo tam barbara inoleuit, vt in publicis, priuatiſue negotijs, ſiuè deliberationibus, ſiuè iudicijs, ſiuè curanda valetudine pudori ſit, ætate paulò eſſe maturiore? aut quis

vnquam

vnquam ignorauit ætatem, ſuam apud omnes commendationem inuenire, niſi fortè apud illos, qui nihilo doctiores in dies fiant? illud profectò erubeſcendum eſſet, Adoleſcentē inter grauiſſimos reipublicæ patres, & in clariſſima illa fori luce verſari, ibiq́. otioſū eſſe, vbi ſumma Reipublicæ negotia geruntur; non verò ad multam ætatem diſcere, aut doceri, quod longè maximi, ac ſapientiſſimi viri ſuo exemplo fecere glorioſum.

Enim verò Plato non contentus diſciplinis, quas Athenæ præſtare poterant, iam duo de triginta annos natus Megaram ſe ad Euclidem cum alijs Socraticis contulit, indè Cyrenem profectus Theodorum Mathematicum audiuit: parum erat luſtraſſe Græciam; in Italiam ad Pytagoreos nauigauit, hinc ad Aegypti Sacerdotes, quorum arcana perdidicit: decreuerat ad Indos Magoſq́. progredi, niſi bella, quibus Aſia flagrabat

flagrabat viam interclusissent: nec tamen quadragenario minor destitit magistros audire, ac doceri: singulari alioqui, ac propè diuino ingenio præditus, quo præceptoris cuiusq. doctrinam breui exhauriebat. Quid Aristoteles, quem sapientes omnes Platoni magistro non parem modo, sed etiam superiorem arbitrantur, & propter ingenij excellentiam Plato idem gymnasij sui mentem, alij naturæ Genium, ac Dæmonium appellarunt? quamdiù existimatis tā portentosum ingenium, quod doctissimis quibusq. est horrori, tulisse doctores? incredibile dictu est; sed tamen verum, Platonem vnum à decimo septimo suæ ætatis, totos viginti annos magistrum habuit. Neque verò tanti præceptoris obseruantia, sed discendi studio id fecit; etenim Platone relicto philosophum aliū tres annos audiuit, vt ne ipse quidē ante quadragesimum annum discendi fecerit finem,

finem, initiumque docendi. Venio ad Romanum Oratorem, qui cum maturè satis in forum venisset, quippè, qui sex & viginti natus annos pro sexto Roscio summis audientium clamoribus perorarit, huius tamen quasi pœnitens facti in Asiam nauigauit, seq. tùm alijs sine dubio eloquentiæ, ac sapientiæ magistris, tùm præcipuè Apollonio Moloni, quem Romæ quoque audiuerat, Rhodi rursus formandum, ac recoquendum dedit. Transeo Scipiones, qui crepidati à philosophicis exedris non cessabant: Tiberium Imperatorem iniurias ipsum suas in Antisophistarum contentionibus vlciscentem. Quid Pytagoras? ille nimirùm sapientum ferè antiquissimus, quãquam sua modestia non tàm sapiens, quàm sapientiæ adamator, ille, inquam, iuuentutis formator egregius, quot annis obsecro eloquentes, ac sapientes viros reddidisse censendus est, quos per

quinquennium volebat infantes? fuit hoc, opinor, A., fuit prudentis antiquitatis iudicium, neminem debere magis erubescere, quòd doceatur, quàm quòd discat. Quem verò mortalium, quamlibet sapientissimum pudet, ex doctorum virorum scriptis aliquid quotidie legere? cur pudeat eos ipsos loquentes audire? nisi fortè hoc ideò pudori est, quòd eo minore labore audimus, quàm legimus, quo profectu maiore. aut potest mortuus melius aliquid, quàm nos sensisse, ac scripsisse; viuens autem nobis audientibus eloqui omnino non potest. Quasi verò non aliquando vixerint ij, quorum nunc scripta euoluimus, aut ij, quos audire integrum nobis est non sint aliquando morituri: vel res humanæ ità quotidie in deterius ruunt, vt nihil vnquam melius, nisi retrò aspicientibus possit occurrere.

Verùm quædam mihi magnifica, atq.

præclara istorum defensio in mentem venit, cui nisi vehementer resistam, omnem hodiernæ dictionis fructum amisero. Eam enim ad omnes meos impetus, quasi murum quendam aggeremque firmissimum opponunt. Aiunt, humanarum ætatum periodos nostris hisce temporibus multo esse breuiores, quam priscis illis, quæ antea commemorata sunt. Medicorum illum aphorismum, Ars longa, vita breuis non de medica solùm doctrina; sed de ceteris quoque facultatibus meritò vsurpari; proindè tùm ceteras partes humanæ vitæ cursus; tùm verò illam, quæ omnium prima est, & qua ad reliquum iter comparamur, oportere contrahi, & incitari; vt communi bono, reiq. publicæ consulatur. Etenim si iuuentutis institutio ita sit diuturna, quomodo prodesse ciuilibus reipublicæ negotijs poterunt, qui tam multis doctrinarum præludijs insenescunt? vt necesse

 sit

ſit agendi, iuuandiq́. rempublicam breuiſſimum eſſe tempus, minuſq́. idoneum, viribus iam diſcendi labore illo tàm diuturno conſumptis. Ad hæc ingenij, & virtutis nunc eſſe, quàm ætatis curſum celeriorem: ab excellenti autem virtute progreſſum ætatis expectari non oportere, alioqui neceſſe ſit, ſæpè magnam indolem virtutis priuſquam reipublicæ prodeſſe potuerit extingui. In pleriſq́. Reipublicę negotijs plus valere vſum, quàm tot doctrinarum, non dicam præſidia neceſſaria, ſed ornamenta: conſuetudinem eſſe, quę vires cito facit, ſtudiorum verò fructum viridem, & adhuc dulcem promi oportere, dùm & venia, & ſpes eſt, & paratus fauor Eurialo, & audere non dedecet: ſi quid deſit operi ſupplet ætas; & ſi quæ iuueniliter dicantur, aut fiant pro indole accipiuntur: Demoſthenem adhuc puerum actiones pupillares habuiſſe. Cęſarem Auguſtum duode-

duodecim natum annos auiam pro rostris laudasse: Ciceronem non multò post vicesimum summis audientium clamoribus perorasse. Verumtamen hæc tam illustris, tamquam exaggerata defensio, non vsq. adeò est fortis, vt debilitari facile non possit, ac penitus vinci. Quale enim quæso illud est, quod inquiunt, cursum tùm ætatis, tùm etiam ingenij celeriorem nunc esse, quàm temporibus illis, quę paulò ante commemoraui? quam vanum, quam inane, quam apertè falsum? Quem enim eorum, qui vel mediocriter in priscis annalibus versati sunt, ignorare arbitrantur, querelam illam, ars longa, vita breuis, non modo nostra; sed etiam Aristotelis, ac Platonis ætate antiquiorem esse? Diù admodum, ac penè ad tędium vsq. vixerint felices illi recens nati, & adhuc florentis orbis propagatores. Illa tamen amplissima vitę spatia, ita paulatim con-

tracta sunt ab eo præsertim tempore, quo flagrans vbiq. libido perpetuis quadraginta dierum imbribus, terrarumq; omnium eluuione restincta est; vt anno à mundo condito bis millesimo ducentesimo Iacobus senio iam propè confectus apud Pharaonem Aegipti Regem centenos tricenos suę ætatis annos paucos, & malos doluerit. Nec multò post, hoc est anno termillesimo Dauid vulgarium hominum ætatem annis septuaginta, vel robustorum octoginta definierit. Certè Plato, & Aristoteles, quos ad quadragesimum vsque annum magistris dedisse operam commemoraui, præsentis ætatis limites non excessere. Nam Platoni non nisi sobrietatis, & diligentiæ (vt ait Seneca) beneficio contigit, vnum & octoginta annos numerare: & Aristoteles sexagenario non admodum maior migrauit è vita; & tamen quæ non illi, Deus immortalis, aut egere, aut scripsere.

re. Tam multa sunt A. tanque præclara, vt ea vnum quemq. nostrum meritò pudeat recognoscere. Sed illud imprimis soleo mirari vehementer, quod cum ea publicis literis, memoriæq. mandarint, quæ non nisi nestoreis annis excogitari potuisse videantur, ac perfici, summo & ingenio, & otio: ita non multis annis prodidere, vt interim non modo reipublicæ curam non neglexerint; sed nouas etiam constituerint sanctissimis legibus, & institutis. Tanti nimirùm interest ad agendi celeritatem diù, & quasi cunctando didicisse. Desinant ergo isti vitæ nobis breuitatem obijcere, indeq. suadere, discendi spatia coarctanda, vt longiora sint agendi, eoq. vberiorem reipublicæ fructum afferre possimus, quo diuturniorem. neq. enim quamdiù agas in foro, vel magistratum geras, reipublicæ interest; sed quam benè. Ac si in vita priuata dies vnus ex-

 philo-

philosophia actus peccanti æternitati præponendus est; quanto magis in publica, & ciuili? Desinant longè maximum discendi negotium, vt otium reprehendere: nihilo enim verius dixerint otiosum esse ciuem cum discit, quā hieme arbores cum radices agunt altiores, quibus vberiorem hauriant succum: vel iuuencos quamdiù liberius errantes aratro crescunt. Atq. vt agris minimè inutiles; immò longè vtiliores sunt riui quādiù aggeribus retenti colligūt aquas quibus eisdem agris alueo maiores superfundantur, quàm cum perenni cursu inscio campo præterfluunt: Ita publicis rationibus longè vtilius est, ciues rempublicam administraturos nec præmaturè, nec nisi prudentia, omniq. doctrinarum genere cumulatos manum operi admouere. Dicam apertiùs, iuris notitiam eos habere par est tantam, vt nec per inscitiam lites ferant, irrigētue; nec

ita

ita definiant, vt nihil iure satis sit firmum, patriæq. & auitæ possessiones nepotibus abiudicentur. Ea verò quibus respublicæ conseruantur, augentur, labefactantur, intereunt, mores etiam suorum ciuium, & finitimorum populorum, & omnem anteacti temporis memoriam ita complexos esse, vt omnia belli, pacisq. consilia tutò ab illis, tanquam responsa ab oraculis, petantur. Talem ego ciuem vnum, vel vna hora plus reipublicæ prodesse arbitror posse, quamplurimis annis semidoctos homunciones centum. Talem verò esse posse neminem, qui magistrum non nisi iuuenculus, & imberbis potuerit pati. Neq. enim tantum spei, & præsidij in vsu, quantum isti putant, collocandum est. Vt enim corporis vires si nondum satis firmæ sint exercitatione non crescunt; sed potius extinguuntur: sic animus quoq. si nondum satis doctrina sit con-

firmatus

firmatus dicendi, agendiq. vsu, id vnum consequetur, vt facilè dicat, agatq. peruersè: non enim vires, aut doctrinam vsus tàm facit, quam perficit.

At enim necesse erit aliquando magnam indolem virtutis, priusquam reipublicæ prodesse potuerit, extingui. Non inficior: sed an ideò pueri etiam ad reipublicæ munia adhibendi, vt ne vllus vnquàm nihil de republica meritus decedat è vita? Præstat, multos non potuisse viros iuuare rempublicam, quam vnum aliquem iuuenili temeritate nocuisse. Hanc Romanorum vt antiquissimi, ita etiam sapientissimi verebantur, cum legibus annalibus grandiorem ętatem ad magistratus obeundos constituebant, non ambitionem tantùm, vt gradus petitionis essent inter æquales. Et eodem fortasse ioco iuuenes à iuuando, quo montes à mouẽdo appellauere. Sed, vt candidè dicam, quod sentio, ve-

reor

reor ne non publicæ rei ; sed priuatæ amor discentium plurimis stimulos ad currendum admoueat : nec quia sit pulcherrima, aut reipublicæ salutaris prudentiæ, doctrinæq. excellentia petatur ipsa; sed ad vilem vsum, & sordidum lucrum non pauci accingantur. Ego verò & si minimè velim, oblatum mihi esse auditorem, quid studia referant computaturum, cui mercaturam libentius suasserim, quam studia literarum ; tamen nequaquam illud omiserim, nihil in hoc negotio inter publicas, & priuatas rationes interesse. Etenim si nec Ciuitates ijs, à quibus sua dignitas, & salus, nec priuati homines, à quibus suæ fortunæ, vel sæpè etiam vita conseruatur, esse solent ingrati : profectò priuatum doctorum hominum commodum à communi vtilitate secerni non poteſt; sed vt plus segetis vna die messor vnus congregat, quàm vno mense spici lectores

multi

multi: ita iuris, vel medicæ artis apprimè doctus non multis annis rem suam familiarem curat diligentius, quam longè plurimis homo vulgaris.

Hæc ego, Mediolanenses, nolim me voluptatis vestræ gratia, vel exercitationis meæ disseruisse: nolim ita accipi quasi oratorio illo more magnifico, & exaggerato, veritatem supergrediente dicta sint; sed latino ac plano: neque enim cuiusquam ego in hac causa gratiam, aut commodum aliquod meum quæro, quod nullum esse potest; sed quidquid in hac causa mihi susceptum est, id omne me reipublicæ causa suscepisse confirmo, vt ne simulatione quadam officij in rempublicam, communisque, aut etiam priuati boni nomine multorum adolescentum nimia festinatio bonis literis interitum, vobis nec opinantibus, posset afferre. Reliquum est, vt ipsi pro vestra maxima in rempu-

blicam

blicam, familias, liberosq. vestros charitate, quorum non modo dignitas agitur, verùm etiam vtilitas; pro vestro etiam amore virtutis, ac sapientiæ, cuius certè perniciem, & interitum cursus ille discentium molitur, iudicetis, decernatisq. an quos decedentes testamento ex lege, institutoq. maiorum ad multam ætatem in hominis alicuius spectatæ fidei tutela ita esse vultis, vt nihil interim de se, fortunisq. suis tutore non dicam inuito, sed inscio possint statuere; eosdem nunc superstites ita sui iuris esse velitis, vt adhuc impuberes, & pupilli de eorum potestate pro suo arbitratu decedant, quorum fidei, & institutioni commendati sunt, his quidem aliter suadentibus, vobis autem ne cogitantibus quidem. Quasi verò plus vestra intersit, fortunas vestras, quàm virtutem, prudentiam, sapientiam tuto ad posteros vestros peruenire. Vos vero, adolescen-

tes optimi, per vestram illam indolem præclaram, & generosam etiam, atque etiam hortor, vt ne studiorum vestrorum cursum ex sola aduocationum, curationumuè stipe, neque ex præmatura quadam togæ gloriola, neque ex laboris tædio moderandum vobis esse, metiendumq́. putetis: sed vt ciuis verè sapientis, & eximij patriæ, familiæq. suæ gloriosissimi imagine vobis ante oculos proposita, ad eam laudem, & famam discendi hoc labore sanè non exiguo contendatis. Sic enim facilè vobis persuadebitis, non modo vt tempora, quæ spectaculis, campo, tesseris, otiosis denique sermonibus, ne dicam somno, & flagitiosis amoribus conteruntur, literarum studijs impendatis, sed etiam, vt eum laborem quamdiù opus fuerit exhauriatis, & omnem illam ætatem, quæ deliberationibus, & consilijs satis apta non est, liberalibus doctrinis gnauiter ediscēdis traducatis

ducatis: vt iuris laurea coronati postero die iudicijs, grauissimisque reipublicæ consilij s maturi merito videamini; eoque maioribus studijs à clientibus, totaq. curia excipiamini, quò pluribus votis expetiti.

PANEGYRIS

Clarissimo viro copiarum Præfecto de Prouincia decedenti dicta.

SI tota Bergomensium Ciuitas, immo vniuersa, quæ eius ditionis latè vndiq. patentes agros aut colit, aut incolit natio, tam multis tibi nominibus hoc proximo triennio factis in sempiternum tempus deuincta, commouere se funditus potuisset, & coram non priuata indiserti, aut Orato-

ris

toris, aut interpretis voce; sed publico, ac communi luctu profiteri, quam inuita, & mœrens de prouincia decedentem te videat, quem incredibili lætitia venientem suscepit; magnum profectò hodierna die tuorum in nos beneficiorum fructum perciperes: cum non modo tu ipse, cui iampridem incredibilis erga nos humanitatis, & plurimorum meritorum conscientia vsuram amoris bonis Principibus iucundissimàm pollicebatur: sed totum imperium Venetum, atq. Italia vniuersa facilè posset intelligere, eum esse nostrum omnium in discessu tuo sensum, qui solet esse in excessu carorum. Nec esset, cur hoc loco, ac tempore, aut studium illud Scicensium erga te maximum, tuoq. nomini gloriosissimum in nobis desiderares, cũ te de prouincia in patriam reuertentem non modo faustis precationibus, ac votis; sed etiam nauigijs multis prosequerentur;

rentur; prorsus quasi patrias sedes deserturi, ibiq. domos, coniuges, liberos, suaq. omnia, vbi vnum te cernerent, habituri: aut illam tibi tot vexillorum gloriam inuideres, quæ ijdem Scicenses sustulerunt ad tui nominis memoriā sempiternam. Nam nec tuam, Princeps, sapientiam fugit, nullum esse clarius amoris argumentum, quam dolorem: nec humanissimi mores tui maiorem possunt ex vlla re alia, quàm ex amore voluptatem referre. Ex his tamen, qui te circumstant, facilè de ceteris facere coniecturam potes: neq. enim aut mentium operta rimari, aut singulorum expectare voces necesse est. Extat in vultu cuiusq. doloris, non vestigium; sed species, ac forma; & in demissis frontibus impressæ, inustæq. ab tuo discessu mœroris notæ perleguntur: vt mihi iam necesse non sit, quantum apud nos tui desiderium relinquas, aut quantam de tuo discessu

tristitiam

triſtitiam, hoc qualicumq. publicæ orationis munere conteſtari. Vtrumq. profectò adeò magnum eſt; vt niſi tuam illam nobis per triennium præſtitam humanitatem obſidem dares ſuſcepti rerum noſtrarum patrocinij, nunquam inpoſterum repudiandi, nulla vnquam mœrori noſtro allatura ſit finem ætas. Sed ego tamen actum agam, & ineptus meritò videar interpres, ſi, quod fronte omnes præferimus, vnus planum facere oratione contendam. Quare hac omiſſa ad alteram, eamq. præcipuam, me confero mei muneris partem, ad quam vt non modo publicæ, ſed etiam priuatæ me cauſæ vocant: ita & commune omnium ſtudium, & mei ipſius propriam quamdam afferrem alacritatem, ſi aut ingenium mihi ad excogitandum, aut ad dicendum facultatem, aut demùm ea, quæ mediocribus quoque ingenijs ſubſidio eſſe ſolent, vſum ſcilicet, atq.

exercitationem suppetere intelligerem. Nunc quoniam hæc mihi omnia deesse sentio, id muneris, quod salua religione officij recusare non poteram, suscepi non mediocriter inuitus. Agendæ nimirum gratiẹ sunt tibi, viro non modo clarissimo; sed etiam de nostro genere, de hac prouincia vniuersa vsq. adeò benemerito, vt nullius tanta possit existere vbertas ingenij, nullius tanta in dicendo copia, tamq. incredibile, ac diuinum genus orationis, vt eo possit tua in nos vniuersa promerita non dicam complecti orando; sed percensere numerando, vt propterea id munus non mihi modo; sed disertissimo cuilibet Oratori repudiandum fuisse videatur. Non committam tamen, vt qui priuatim ad agendas meo nomine gratias descensurus eram, ne eundem me & beneficijs cumulatum, & ingratum relinqueres; id oneris, &, vt verè dicam, honoris publicè delatum

adire non audeam, maioremq. habeam rationem meæ facultatis, quam dignitatis tuæ. Fateor tua in nos beneficia, & magnitudine esse singularia, & multitudine prope infinita, vt nec mea, nec alterius oratione compensari possint: sed ea aut hoc tempore sileri, aut vllo vnquam tempore intercidere quis nostrum, aut aliorũ æquo animo patiatur? Alienum videtur à tuorum præstantia beneficiorum, verba tibi à nobis, ac penè ludicrum orationis munus rependi: frigidumq. nimis videtur esse verbum illud Agimus gratias, vbi beneficiorum magnitudo easdem postulat referri. Sed nec tua fortuna desiderat remunerandi vicem, nec nostra suggerit restituendi facultatem. Hæc parium facultas est, inter se esse munificos. Tua beneficia vt maiestate præcellunt, ita mutuum non reposcunt. Ac, si ego bene te noui, tàm longè abes à turpi illa beneficio-

rum fœneratione, qua illorum fructum aliquem expectes; vt ne actionem quidem gratiarum expectaturus fuisse videaris, nisi illam admittens, hoc quoque nouum adijceres, vt ne in nobis id crimen esset, vt essemus, aut videremur ingrati. Itaq. hanc eò tibi gratiorem fore conijcio, quo breuior fuerit, minusq. magnifica, & exaggerata: qua in re morem tibi gerere non recusabo. Nam, vt ad liberandam obligatam beneficio fidem non facultatibus, sed animo opus est; quòd reddere censeatur beneficium, qui libenter debet: ita in agendis gratijs plus interest quid sentias, quã quid loquaris. Est enim animi hæc virtus, non linguæ: quemadmodum & vitium; vt satis ille sit gratus, qui quod accepit, intelligit, ac magni facit: eiusq. æstimationem animo, non linguæ permittit. Ergo communi nomine quantas, & quales animo concipere, vel opto, vel possum

ſum, gratias ago: verùm ita, vt Deo agere ſolemus, ſentiendo copioſius, quā loquendo. Quid enim multa à me dici neceſſe eſt? An vt ne beneficia tua obſcura ſint, & ignota? Cui verò eſſe poſſunt? Num tibi, qui dediſti; an nobis, qui accepimus? Multis ſanè neſcientibus excidunt beneficia, quæ naturę quadam improbitate ſponte non darent: alij, in exuperans vitium concedente virtute, eadem inconſultè potius proijciunt, quam ſtudioſè largiuntur. Te verò, qui rectam in omnibus rationem ſequeris, normamq. virtutis, tua beneficia latere non poſſunt: nec à reddente monendus es, vt dediſſe te ſcias; ſed vt illum intelligas accepiſſe. Nos verò, qui poſſumus ignorare quid tibi referamus acceptum, qui quid abs te non acceperimus multò ægrius dicturi ſumus? Sed ea apud te dici à nobis fortaſſe opus eſt, vt tibi referamus accepta; nec no-

ſtræ modo hæreant ; ſed eorum quoq. qui audiunt memoriæ conſigentur. Forcaſſe etiam commendari,ne non magnas egiſſe gratias videamur , niſi maxima fuiſſe beneficia demonſtremus. Quaſi verò docendi ſint, qui me circumſtant, quid acceperint : aut tuorum magnitudinem beneficiorum ſilendo melius,quã dicendo non fateamur. Si quis eſt tamen , qui hanc ſilentij prædicationem, eloquentiamq. non capiat; breuiter ſaltem à me dici patiatur; & in compendium, vt ita dicam, mitti ; quæ ſi paulò fuſius, diligentiuſq. tractanda ſint,diurnam impleant dictionem. Ego enim rem ſic ſtatui exiſtimo totam poſſe. Ea nobis omnia abs te data fuiſſe, quæ taciti huius belli tempeſtas hactenus nõ ademit. Nemo eſt, qui neſciat (niſi quem tua incredibilis prouidentia , clementiaq. iſtiuſmodi malorum non modo expertem facit,verum etiam ignarum) ſed

tamen

tamen nemo eſt noſtrum, qui non ex aliarum ſaltem circa ſe gentium querelis intelligat, quæ, & quanta accidant ex bellis incommoda, non ijs tantum, quorũ in agris debellatur; ſed ceteris quoq́. ad quos in hyberna legiones deducuntur, vel de itinere tantùm diuertunt. Nemo eſt, inquam, qui neſciat, quanta ſit non modo hoſtium, ſi vicerint; crudelitas, quantus furor, quantas in vrbibus, atq́. oppidis ſtrages, in agris populationes, vbiq́. direptiones exerceant: ſed noſtrorum quoq́. militum quanta in nobis ipſis compilandis auaritia, quanta in furando audacia, quanta hoſtilitas in prædando. Per agros excurrunt, penetrant domos, non oculos, non manus à noſtris rebus abſtinendas putant. Parcerent ſaltem vitæ, parcerent honori, ac dignitati. Compilantur indigenæ; durum eſt rebus diuturno tempore conquiſitis vna die ſpoliari. nos, liberiq.

noſtri

nostri, amici, ac familiares ferrum timemus in nos sæpius, quam in hostes districtum, si nostra tuemur, si rapientibus non permittimus, si petita negamus, si dare non possumus; graue est, in singulas horas capite dimicare, hostemq́. verius, quam defensorem habere domi. Sed illud omnino intolerabile, quod non modo res nostras domi; sed etiam mulierum pudicitiam ægrè retinemus: & Tarquinianum furorem, quem capere Roma non potuit, non magnæ sæpè continent, ac celant domus, nisi milites in officio continentur. Sed tua, vir sapientissime, atq́. optime, tua, inquam, prouidentia, & auctoritate factum est, vt istiusmodi calamitatũ hactenus immunes fuerimus. Non agri nobis hostium excursione vastati; nihil est: ne nostrorum quidem militum populationibus vexati; est aliquid: nullius pecora abacta, ne domesticæ quidem aues, aut necatæ,

catæ, aut ablatæ; non est satis: non direptionibus domus, non cædibus corpus, non insidijs vita, non nomen infamiæ, non liberi, non coniuges iniurijs patuerunt; magnum est aliquid. Sed illud profectò maximum, quod non modo bellum non sensimus, quod ne apud alios quidem vllum fuit; sed ne belli quidem signum, aut vestigium aliquod vidimus. Ea siquidem tua est prudentia, vt scias, ea auctoritas, vt possis militum animos frangere, & seuerioris cuiusdam disciplinæ legibus continere: nec timidè tibi cum illis agere necesse est, aut minus liberè imperare; sine quibus potes etiam vincere. Nemo itaq. exaggeratè me loqui putet, aut auribus tuis aliquid dare, cum dico, ea nobis omnia abs te militũ Duce verè magno, ac forti fuisse data, quæ militum furor, & audacia non ademit: vt planum sit non vno, aut paucis, sed innumeris tibi nomini-

nominibus gratias deberi ab omnibus quidem maximas; ſed multo tamen ab ijs maiores, quos tenuior fortuna, nullius aut gratiæ, aut potentiæ præſidio tecta, magis fecerat iniurijs opportunos. Tu enim ita diuinis humanas cumulas virtutes, vt, cum omni officio ceteris hominibus ſatisfacias, eos tamen potiſſimum in clientelam ſuſcipias, quos Deus potentioribus tui ſimilibus commendauit. Quare cum ad miſerorum patrocinium, vel à natura, vel à virtute ſis factus, non in diuerſum te à natura tua ducam, ſi rogem, atq. obſecrem, vt, quod facere cœpiſti, pergas innumeris tibi beneficijs obſtrictos amare, & ſuſceptum ſemel patrocinium perpetuò retinere. DIXI.

Sine

Sine philosophia, & dialectica perfectum Oratorem, aut Iuris peritũ, aut Reipublicæ moderatorem esse neminem.

PRÆFATIO.

VEteres iuxta, ac noui Rhetores, penes quos ius est omne sermonis publici ad omnem vrbanitatem componẽdi, seuerissimis legibus cauerunt ne quis Orator dictionem à narratione auspicetur. qui secus faxit, risu, ac cachinnis vindicetur. Ego stupeos

peos hoſce canones, & ijſdem arctiſſimè ſtrictam, & propè ad miraculum elaboratam eloquentiam non ſatis vnquam didici, vel magni duxi. Et vt magna me cura liberem comendæ orationis, & in muliebrem morē exornandæ libens hoc initio profiteor me iampridē ne alterū quidem pedem in gynecæum illud intuliſſe, vnde fuci, & ſucci, pigmenta, & ſtibium, quibus puellaris induſtria veritatis colorem mentitur. Quare hodiernum præludium & à narratione ordiar bona cum Rhetorum venia, & rudi ſubtegmini non euariantia colores licia; ſed vile titiuilicium intexam. Nam nec vulgare, & de medio ſumptum dictionis genus mihi vitio vertetur, qui philoſophicum palliū hoc ipſo tempore induo, nec narrationis auſpiciū ominoſum putabūt, qui inſomnia ſiue à genio immiſſa, ſiue ab ingenio accerſita, nequidquam intercedente vrbanitatis tribuno, ad ſimilem

milem coronam occaſione non diſſimili non ſemel relata, non longo retroacti temporis decurſu reminiſcentur. Ergo ſuperiore anno iam inclinante, cum iam in Academia noſtra paulo rarior eſſet auditor, nobilis adoleſcens, quicum non vulgaris mihi erat neceſſitudo, nec infrequens ſermo, cum me ſub porticu, vbi neſcio quem ſolus præſtolabar, nactus eſſet, poſt datam humaniter, & acceptã ſalutationem, cœpit per iocum ex me percontari quot nam hoc anno logicos eſſem numeraturus: cui ego; plurimos, modo tui ſimiles quinos, aut ſenos. mox ille; præclara me, inquit, laude afficis. Illud deinceps meritò ad me, meiq. ſimiles detorquebo.

Nos numerus ſumus, & fruges cõſumere nati.

rurſus ego; male, inquam, mea verba accipis. Similem propoſitæ ad explanandum

dum scholæ interpretationem nec binis luat plagis grammaticus: quid dicam veteranus rhetor multis clarus declamationibus? numquã audisti Aristotelẽ Platoni magistro instar multorum fuisse discipulorum? sed age, quoniam rhetoricę iam biennio dedisti operam, sanè nõ pœnitendã, vt in eo militię genere emeritus censeri debeas, & rude donandus.

Quæ sedes erit emeritò? quæ rura dabuntur,
Quæ noster veteranus aret? quæ mœnia fesso?

de rhetore quid fies? perge, inquit ille, & diuinasti: paruo fiam discrimine consul, nempè consultus. Ticinum breui cogito pupillarem seruitutem, ac scholasticum tyrocinium, dum Academia infrequens est pecunia modica redempturus, ne sequenti anno.

Centum me dura premat custodia matrum.

fateor

fateor ingenuè; grauis admodum illa mihi vox fuit: & eò grauior; quò magis præter expectationem meam, & vota. Iam enim in spem veneram adolescentem ingenio præferuido, ad excogitandum celeri, ad explanandum diserto, ad disceptandum acri, totius huius gymnasij magnum columen futurum. Iam illum ad theses publicè propugnandas designabam animo,&(vt quisque videt, quod amat,& qui amant,ipsi sibi somnia fingunt) iam præclara de illo omnia, & summa meditabar, sperabam, mihi ipse pollicebar. Nec me cohibui; sed: nę tu, inquam,meliora; & tuo magis ingenio digna consilia animo volue,& vide etiã, atq. etiam quid agas. Itanè? tam præclarum ingenium Philosophiæ ingeniorum omnium theatro subtrahis? generoso equo campum negas? Ecquando, aut vbi se se exerat vis illa,qua vna non modo tuis commilitonibus, vt reliquis

animi dotibus; sed ipso te maior videris? potes colore saluo tam humile consilium prodere? Ad hæc ille. Ego vero, si quid est in me ingenij, quod sentio quã sit exiguum, id omne, dum integrũ est, ac vegetũ, ad eas disciplinas capessendas conferendum puto, quæ nobili viro laudem, famamq. concilient, & ad honorum gradus, & Magistratus viam muniant? Vestra vero Logica, Physica, ac Metaphysica in iudicijs, in grauissimis reipublicæ moderatorum conuentibus, in Senatu ne de nomine quidẽ nota est. Nec ego facilè crediderim illam vnicũ esse theatrum ingenij, ac laudis segetem; in qua nihil vnquam ingenij luce clarescat, nihil ratum, fixumq. sit, nisi fortè quod pertinacius defenditur; omnia tenebris inuoluta, omnia discordiarum plena, in qua verè

Est, & nõ cuncti monosyllaba nota frequẽtant.

tanta

tanta sententiarum inconstantia, vt mare videatur alternis æstibus reciprocum; in quo ingenium assidua iactatione naufragetur. Hic ego: planè hoc sermone conficis, quod volebam. Nam si philosophia procellosum est mare, quod ex aduerso furentium ventorum flatibus perpetuò illiditur, magni profectò ingenij argumentum est, procellæ rabiem sustinere integro nauigio, ridere superciliosos ferocientis oceani fluctus cumulo præcipites sepulturam adhuc viuentibus intentantes: nec enim.

Cum suæ ventis cecidere vires, &
Mitius stagno pelagus recumbit
Et vacat mersos numerare pisces,

nauticæ artis experimentum capitur si cymba non mergitur, si non laxis laterum compagibus hauriat inimicum imbrem, rimisq. fatiscat, si non acta mi-

nantes in ſcopulos perfracta redit. Neq. verò putes magnam te hactenus laudem ingenij ex oratorijs exercitationibus conſecutum eſſe. Nam illa, verborum delectum habere, non protinus ſe offerentibus gaudere, quærere optima, maximeq. ſonantia, verſare omni modo numeros, vt non, quo quodque verbum ſe profert, locum occupet; ſed omnia aptè cohęreant, vt ex callida illa iunctura exiſtat oratio ſcitiſſimis clauſulis erotundata, totaq. ductilis, quæ per aurium traduces, inſtar digiti per chryſtallinas, onychinaſq. menſas non impacto vngue perlabitur; vtpotè quam nulla rimoſis obicibus fractura remoretur, & vniuerſa Tulliana roſaria deflorare,

Vt variare queas rem prodigialiter vnam,

vnoq. feneſtralis hortuli adſpectu floreas latiſſimè patentium pratorum opes

non

nō vngue furaci carptas; sed panda falce demessas, & fasceatim furca in humeros deportatas præbere conspiciendas, puellaris, crede mihi, est industria, non minus quam capillum comere, vngere, discriminare, calamistrare, & alieni capitis exuuijs per summam impietatem detumulatis nuditatem proprij conuestire. Nec aliud tandem est orationum, ac poematum purpureum pannum, qui splendeat, vnum, alterum, ac tertium hinc indè defrustare,

cum lucus, & ara Dianæ
Et properantis aquæ per amœnos ambitus agri,
Aut flumen Rhenum, aut pluuius describitur arcus,

quam vndiq. collatis plumis splendidè instar corniculæ vestiri, vt, si

Forte suas repetitum venerit olim

Grex auium pennas, moueat cornicula risum
Furtiuis nudata coloribus.

Etsi enim eloquentia vsq. adeò magnum quid sit, vt nulla illi possit par oratio inueniri: at non illa, quam adolescentes discitis, & profitemini, antequã dialecticis, & philosophicis disciplinis pectus, mentemq. cumulaueritis. Illa enim veræ sunt latifundia, vndè omnis dicendi seges; amplissimæ officinæ, vnde copiosa supellex; thesauri, vnde magni illi, & verè regij sumptus suppeditantur; armamentarium, vnde non fulgentia tantùm arma, & solis oculis bellum inferentia; sed fortia, & pugnantia depromuntur, argumenta nimirũ rem præsentem conficientia, quæ aduersarium terreant, fatigent, iugulent; nõ quibus auditori per molles verborum cunas somnus irrepat, aures fractis deliniantur vocibus, pectus fœmineo pumice incalescat. Sola

ergo

ergo eloquentia, quæ copiosè loquens ſapientia ſit, cuius flumina, e philoſophiæ fontibus corriuentur, quæ in admirationem ingenij rapiat, ſola laudem apud ſapientes conſequitur, ſola meretur: vt vt fortaſſe apud rude vulgus ieiunæ linguæ ſulphurea crepitacula punctum ferant. vt non immeritò Diogenes oratorem illum in cauponam inuitauerit hominum quiſquilijs refertam, nempè in dignum tali actore proſcenium. Et dubitabis, num verè dixerim philoſophiam vnam ingenioſæ iuuentutis theatrum eſſe, & ex illa dumtaxat ingenij laudem comparari? Parum eſt, quod audiſti, verè oratorem eſſe non poſſe, qui dialectica, & philoſophia nō ſit inſtructꝰ; cui rei fidē faciant omnium oratorū voces, &, quod maius eſt, exempla; quod maximum, momenta rationum: quæ omnia, quia nec ignorare potes, nec diffiteri, ego non ingero. Addo nec Iuriſ-

consultum.addo, nec reipublicæ moderatorem. Risit ad hæc ille,& moxq; quam, inquit, multis, & verè magnis hoc vnó ictu iuris lauream deiecisti de vertice; fasces, sceptra de manibus excussisti. &c. Philosophum agis? an Oratorem inflantem buccas veris iuxta, ac falsis, modo ad rem suam facientibus? Philosophū: cuius est pauca pro causa loqui; non patronum: cui in quęstu sunt verba, eò maiore,quò plura. Eia itaq.,inquit, perge: & si quidem persuades me iurisconsultum, & publicarum rerum administratorem, qua par est dignitate, esse non posse, nisi philosophiam addiscam, me ipsum Mineruæ spondeo, & iā nunc in tuam me trado disciplinam. Ego verò spe non dubiæ victoriæ iam lætior: suscipio, inquam,facturum id, ad quod prouocas.immo nisi idem reus, ac iudex suasionis futurus esses, hac super re non dubitassem te primus spōsione lacessere.

nam nullus sum, nisi ter hodie reum fecero. Replico itaq. neminem iuris paulò consultiorem esse posse, neminem rempublicã sapienter administrare, qui philosophicis disciplinis non sit imbutus. Ordior à postremo. Inter sapientes, ex quorum dictis fides facienda est, an tu Platonem censendum putas? ego verò, inquit, & quidem primum, præsertim vbi de rerum publicarum gubernatione sit sermo: nam de republica, deq. legibus, & legum latione quam multa, quamq. admirabilia ad nos transmisit. Benè est: hic ergo reipublicæ gerendæ peritissimus, secundo de republica dialogo hæc habet. *Nisi vel philosophi Ciuitatibus dominentur, vel hi, qui nunc reges, potentesq; dicuntur legitimè, sufficienterq; philosophentur, in idemq; ciuilis pñtia, & philosophia concurrat, non erit Ciuitatibus, vel, vt mea fert sententia, hominum generi requies vlla malorum, neq. prius hæc respublica,*

quam

quam verbis exposuimus orietur pro viribus, aut lumen solis aspiciet. Hanc sapientissimi philosophi sententiam reperi aliquando laudatã à magno illo Kiriaco Strozza decimo lib. de republica totidem penè verbis, eidemque mirè consentiunt quæ Arist. 2. artis rhetoricæ lib. cap. 24. commemorat his verbis. *Thebis quoque, qui præfuerunt Philosophi erant, & Ciuitas erat in felicitate: Athenienses etiam, quousque Solonis legibus vtebantur, beati fuerunt, & Lacedemonij Licurgi legibus vsi.* Et sanè cum nihil sit aliud gubernare rempublicam, quàm ciues sibi subiectos bonis moribus imbuere, nemo sanæ mentis dubitare potest, quin in reipublicæ moderatore philosophia sit necessaria. Nã nec boni rebus alijs efficimur, quam virtutibus, nec virtutes in nobis, vel in alijs sine philosophia procreamus; sine qua nec illarum naturam cognoscimus, nec qua in animi parte sedem habeant, quid

singulæ

singulæ spectent, & qua ratione comparentur. Atque vt hoc, quod modo dixi, facilius assequaris: reuoca ad memoriam celeberrimam illam, ac tripartitam philosophiæ diuisionem in rationalem, naturalem, & moralem, quam trium circulorum se mutuò complectentium nexu adumbrauit antiquitas: tum noueris eam, quæ moralis dicitur, quia de hominum moribus ex instituto disserit, totam esse in virtutum, ac vitiorum natura definienda, in sua cuiq. materia, suisq. limitibus statuendis, quos vltra, citraq. nequeat consistere, docendoque quid æquum sit, quid iniquum, quid temerarium sit, quid abiectum, quid inter vtrũq. arduum, ac forte, quid austerum, quid voluptuosum, quid item temperatum; quis cultus Deo adhibendus, quæ patriæ charitas, parentibus pietas exhibenda; quando, & quatenus principibus, ac magistratibus obediendum, obtempe-

temperãdumq́. & omnino quibus virtutibus, & qua ratione ſingulorum animi ſint exornãdi. Quia ergo nec ſectari virtutem poſſumus, nec vitia declinare, niſi cognoſcamus, nec noſſe ſine morali philoſophia, conſequens eſt neminem carere vitijs, & virtute prædítum eſſe poſſe, qui non ſit philoſophus. Iam vero ciuilis ſcientia, qua vna tota reipublicæ adminiſtrandæ ratio continetur, eadem ferè eſt cum morali Philoſophia: vtraq́. enim virtutes eaſdem parere conatur; ſed illa quidem in eodem ipſo philoſophantis animo; hęc verò illorum ciuium, quos regendos ſuſcepit. Nam moralis quidem Philoſophi finis eſt ſe ipſum bonum reddere, ciuilis vero ciues: de quo veriùs, quàm de Poetis illud vſurpes:

pectus præceptis format amicis
Aſperitatis, & inuidiæ corrector, & iræ.

Quid

Quid ais? didicisti ne adhuc solos philosophos posse gubernare pro dignitate rempublicam, & ciues bonis moribus imbuere? solos esse hominibus, reliquos pecoribus regendis idoneos? Didici, inquit, sed, vt verè dicam, quod minimè optabam. Tu enim ab ea Philosophia, qua de in hac literistica palęstra magnis quotidie clamoribus disputatur nullo explorato veritatis fœnore, à Dialectica inquam, & naturali Philosophia ad moralem, ciuilemq́ue deflexisti, de quibus ætate iam requieta, & in portum modestiæ subducta placidè disserunt prudentiores ciues, quibus voluptas omnis ęuo euanuit dilapsa ad aures. Nobis sanè solemne est, quoties inter orandum causæ diffidimus, vel inter angustias, ac salebras coacta, ieiuna, gracilis, ac strigosa efficitur oratio cautè admodum, ne quis gressus præsentiscat, in latiorem campũ, in quo laciniosos explicet sinus diuer-

diuertere : idq. diffugium vocamus,ab Hypothesi ad thesim, turpe ne,an honestum sit,nihil disputo.certè hederas imitamur, quæ textili sylua parietibus,vel caudicibus inuehuntur:ac si de ędificio, vel trunco malè sit, crescēdo recedunt, vt refugium sentias,ramos aliorsum destinatos de diuortio parietis cogitare. Vtrum tibi accidit? spiritusne angustiæ, & animæ interclusio; ait verominor causæ bonitas? cui ego:argutè, vt soles. Sed tamē quisquis hosti in primo nō obstitit vestigio,& primas arcis munitiones permisit inscēdere, primi cōgressus victorem vix vnquam in secundo sustinuit. Admittis ergo sine morali philosophia rectè geri rempublicam nō posse? vltro inquit. Mox ego. Quid si hæc philosophiæ pars sine dialectica, & naturali stare minimè possit? confectum ne erit illos dumtaxat, qui his etiam philosophiæ partibus sunt instructi, magi-

stratibus

ſtratibus, ac regno eſſe idoneos? Prorſus factum puta. Ciuilem hominem medico ex altera parte reſpondere docuit Ariſt. quòd vterq́. hominum morbos extrudere conetur, vterq́. valetudinem, ac temperationem quãdam adducere, vterque curare, ac, ſi in omnem mali fugam poſſit, ſanare. Sed medicus quidem corporibus, ciuilis vero animis medicinam facit. An verò mederi corporibus poteſt medicus, niſi illorum non dicam membra, vel partes, ſed neruulos omnes, ac membranas, ſubtiliſſimas fibras, tenuiſſimos meatus, ac poros, omnes, vt ità dicam, atomos anotomici cultri acie ſingula rimante, ipſo oculorum iudicio, nedum mentis cogitatione diſtinxerit? certè non poteſt. idq́. tu etiam noſti, & fatebere. Noueris etiam non minorem in ciuili homine oportere reperiri notitiam humani animi, eiuſq́. virium omnium, ſiue rationis ſint participes, ſiue

illius

Grex auium pennas, moueat cornicula risum
Furtiuis nudata coloribus.

Etsi enim eloquentia vsq. adeò magnum quid sit, vt nulla illi possit par oratio inueniri: at non illa, quam adolescentes discitis, & profitemini, antequã dialecticis, & philosophicis disciplinis pectus, mentemq. cumulaueritis. Illa enim veræ sunt latifundia, vndè omnis dicendi seges; amplissimæ officinæ, vnde copiosa supellex; thesauri, vnde magni illi, & verè regij sumptus suppeditantur; armamentarium, vnde non fulgentia tantùm arma, & solis oculis bellum inferentia; sed fortia, & pugnantia depromuntur, argumenta nimirũ rem præsentem conficientia, quæ aduersarium terreant, fatigent, iugulent; nõ quibus auditori per molles verborum cunas somnus irrepat, aures fractis deliniantur vocibus, pectus fœmineo pumice incalescat. Sola

ergo eloquentia, quæ copiosè loquens ſapientia ſit, cuius flumina, e philoſophiæ fontibus corriuentur, quæ in admirationem ingenij rapiat, ſola laudem apud ſapientes conſequitur, ſola meretur: vt vt fortaſſe apud rude vulgus ieiunæ linguæ ſulphurea crepitacula punctum ferant. vt non immeritò Diogenes oratorem illum in cauponam inuitauerit hominum quiſquilijs refertam, nempè in dignum tali actore proſcenium. Et dubitabis, num verè dixerim philoſophiam vnam ingenioſæ iuuentutis theatrum eſſe, & ex illa dumtaxat ingenij laudem comparari? Parum eſt, quod audiſti, verè oratorem eſſe non poſſe, qui dialectica, & philoſophia nõ ſit inſtruct⁹, cui rei fidẽ faciant omnium oratorũ voces, &, quod maius eſt, exempla; quod maximum, momenta rationum: quæ omnia, quia nec ignorare potes, nec diffiteri, ego non ingero. Addo nec Iuriſ-

consultum.addo, nec reipublicæ moderatorem. Risit ad hæc ille,& moxiquam, inquit, multis, & verè magnis hoc vnó ictu iuris lauream deiecisti de vertice ; fasces, sceptra de manibus excussisti. & q Philosophum agis ? an Oratorem inflantem buccas veris iuxta, ac falsis, modo ad rem suam facientibus ? Philosophũ est cuius est pauca pro causa loqui ; non patronum : cui in questu sunt verba, eò maiore,quò plura. Eia itaq.,inquit, perge : & si quidem persuades me iurisconsultum, & publicarum rerum administratorem, qua par est dignitate, esse non posse, nisi philosophiam addiscam ; me ipsum Mineruæ spondeo, & iã nunc in tuam me trado disciplinam. Ego vero spe non dubiæ victoriæ iam lætior ; suscipio, inquam,facturum id, ad quod prouocas.immo nisi idem reus, ac iudex suasionis futurus esses, hac super re non dubitassem te primus spõsione lacessere.

nam

nam nullus sum, nisi ter hodie reum fecero? Replico itaq. neminem iuris paulò consultiorem esse posse, neminem rempublicã sapienter administrare, qui philosophicis disciplinis non sit imbutus. Ordior à postremo. Inter sapientes, ex quorum dictis fides facienda est, an tu Platonem censendum putas? ego verò, inquit, & quidem primum, presertim vbi de rerum publicarum gubernatione sit sermo: nam de republica, deq. legibus, & legum latione quam multa, quamq. admirabilia ad nos transmisit. Benè est: hic ergo reipublicæ gerendæ peritissimus, secundo de republica dialogo hæc habet. *Nisi vel philosophi Ciuitatibus dominentur, vel hi, qui nunc reges, potentesq. dicuntur legitimè, sufficienterq. philosophentur, in idemq. ciuilis põtia, & philosophia concurrat, non erit Ciuitatibus, vel, vt mea fert sententia, hominum generi requies vlla malorum, neq. prius hæc respublica,*

quam

quam verbis exposuimus orietur pro viribus, aut lumen solis aspiciet. Hanc sapientissimi philosophi sententiam reperi aliquando laudatã à magno illo Kiriaco Strozza decimo lib. de republica totidem penè verbis, eidemque mirè consentiunt quæ Arist. 2. artis rhetoricæ lib. cap. 24. commemorat his verbis. *Thebis quoque, qui præfuerunt Philosophi erant, & Ciuitas erat in felicitate: Athenienses etiam, quousque Solonis legibus vtebantur, beati fuerunt, & Lacedemonij Licurgi legibus vsi.* Et sanè cum nihil sit aliud gubernare rempublicam, quàm ciues sibi subiectos bonis moribus imbuere, nemo sanæ mentis dubitare potest, quin in reipublicæ moderatore philosophia sit necessaria. Nã nec boni rebus alijs efficimur, quam virtutibus, nec virtutes in nobis, vel in alijs sine philosophia procreamus; sine qua nec illarum naturam cognoscimus, nec qua in animi parte sedem habeant, quid

singulæ

singulæ spectent, & qua ratione comparentur. Atque vt hoc, quod modo dixi, facilius assequaris: reuoca ad memoriam celeberrimam illam, ac tripartitam philosophiæ diuisionem in rationalem, naturalem, & moralem, quam trium circulorum se mutuò complectentium nexu adumbrauit antiquitas: tum noueris eam, quæ moralis dicitur, quia de hominum moribus ex instituto disserit, totam esse in virtutum, ac vitiorum natura definienda, in sua cuiq. materia, suisq. limitibus statuendis, quos vltra, citraq. nequeat consistere, docendoque quid æquum sit, quid iniquum, quid temerarium sit, quid abiectum, quid inter vtrũq. arduum, ac forte, quid austerum, quid voluptuosum, quid item temperatum; quis cultus Deo adhibendus, quæ patriæ charitas, parentibus pietas exhibenda; quando, & quatenus principibus, ac magistratibus obediendum, ob-

tempe-

temperãdumq́; & omnino quibus virtutibus, & qua ratione singulorum animi sint exornãdi. Quia ergo nec sectari virtutem possumus, nec vitia declinare, nisi cognoscamus, nec nosse sine morali philosophia, consequens est neminem carere vitijs, & virtute præditum esse posse; qui non sit philosophus. Iam vero ciuilis scientia, qua vna tota reipublicæ administrandæ ratio continetur, eadem fere est cum morali Philosophia: vtraq́; enim virtutes easdem parere conatur; sed illa quidem in eodem ipso philosophantis animo; hęc verò illorum ciuium, quos regendos suscepit. Nam moralis quidem Philosophi finis est se ipsum bonum reddere, ciuilis vero ciues: de quo veriùs, quàm de Poetis illud vsurpes:

pectus præceptis format amicis
Asperitatis, & inuidiæ corrector, & iræ.

Quid

Quid ais? didicisti ne adhuc solos philosophos posse gubernare pro dignitate rempublicam, & ciues bonis moribus imbuere? solos esse hominibus, reliquos pecoribus regendis idoneos? Didici, inquit, sed, vt verè dicam, quod minimè optabam. Tu enim ab ea Philosophia, qua de in hac literistica palęstra magnis quotidie clamoribus disputatur, nullo explorato veritatis fœnore, à Dialectica inquam, & naturali Philosophia ad moralem, ciuilemque deflexisti, de quibus ætate iam requieta, & in portum modestiæ subducta placidè differunt prudentiores ciues, quibus voluptas omnis ęuo euanuit dilapsa ad aures. Nobis sanè solemne est, quoties inter orandum causæ diffidimus, vel inter angustias, ac salebras coacta, ieiuna, gracilis, ac strigosa, efficitur oratio cautè admodum, ne quis gressus præsentiscat, in latiorem campũ, in quo laciniosos explicet sinus

diuer-

ſtratibus, ac regno eſſe idoneos? Prorſus factum puta. Ciuilem hominem medico ex altera parte reſpondere docuit Ariſt. quòd vterq́. hominum morbos extrudere conetur, vterq́. valetudinem, ac temperationem quãdam adducere, vterque curare, ac, ſi in omnem mali fugam poſſit, ſanare. Sed medicus quidem corporibus, ciuilis vero animis medicinam facit. An verò mederi corporibus poteſt medicus, niſi illorum non dicam membra, vel partes, ſed neruulos omnes, ac membranas, ſubtiliſſimas fibras, tenuiſſimos meatus, ac poros, omnes, vt ità dicam, atomos anotomici cultri acie ſingula rimante, ipſo oculorum iudicio, ne dum mentis cogitatione diſtinxerit? certè non poteſt. idq́. tu etiam noſti, & fatebere. Noueris etiam non minorem in ciuili homine oportere reperiri notitiam humani animi, eiuſq́. virium omnium, ſiue rationis ſint participes, ſiue

illius

illius tantum affinitate, ac vicinia regantur: tum, quæ sint appetitiones illorum naturæ consentaneæ, quæ præter naturam, & quasi simptomata; quo inter se nexu sint colligatæ, quam vnaquæq. ad opus excitet, vel eius sit pedanea; aliaq. sexcēta. Hæc, quæ modo dixi, iam pridem docuit Arist. 1. de moribus c. 13. his verbis. *Sed si hæc ita se habent, perspicuum est ciuilem, quæ ad animam spectant quodammodo cognoscere oportere; quemadmodum oculum, & totum corpus eum, qui curaturus est.* In quam sententiam capite illo toto disputat. Iam si ciuilis non minus animam, quam medicus corpus nosse debet: animi verò non minus quam corporis cognitio vniuersa ex naturali philosophia petenda est, ciuilis nemo sine naturali philosophia esse poterit magis, quam medicus. Transeo ad Dialecticā seu Logicam. Disciplinas omnes, quæ syllogismo, ac ratione vtuntur, ita à Dia-

lectica pendere, vt sine illius seu ancillari seruitio, seu obstetricia manu, vel nullo modo, vel ęgrè admodum gignantur in nobis, tanto sapientum omnium cõsensu exploratum est, vt, qui dissentit, inscipiens haberi velle videatur. Cum enim illa omnem disserendi, ac ratiocinandi methodum certis legibus, ac pręceptis complectatur; sanè sine dialectica nemo ex arte ratiocinabitur; igitur temerè: ac propterea, vt vt pro insita ingenio ad veritatem dignoscendam vi, persæpè rectè; at non raró non sine errore; semper verò cum erroris periculo, ac formidine; labore, & industria multò operosiore; perindè ac nauis secundis licet ventis commissa, nemine ad clauũ cum nautica pyxide sedente, vt rectè colligit Arist. initio 1. de arte rhetorica. Iter ad superos ruina quærit Herculea violentia; Icaria leuitate insuetum per iter aerias lustrat plagas pennis non ho-

mini datis: labyrintum ingreditur cæca regens nullo vestigia filo: Giganteo furore Ossapelionijs gradibus cælũ petit, absurdè, inquam, quęrit simul scientiam, & modum sciendi, qui sine rationali philosophia nempè logico pręsidio reliquas philosophiæ partes capessendas putat. Prouoco ad sanctissimum, ac sapientissimum Augustinum, cuius testimoniũ hoc in negotio non potest non esse grauissimum, cum dialectica facultate vsq. adeò præstaret, vt Petilianus, & Cresconius hæretici, vt probrum obiecerint, quòd esset dialecticus: cauerintq. ne sui vnquam cum Augustino congrederentur; ne dialectica illos arte circumueniret. Hic itaq. tantus dialecticus lib. 3. contra Academicos, & secũdo de doctrina Christiana, & sæpè alibi, mira dicit de huius artis ad omnes disciplinas vtilitate. sed eam optimè amplificat libro de ordine his verbis. Ratio disciplinarum excogitatrix

gitatrix non prius alias artes fabricata est, quam sua quędã machinamenta, & instrumenta distinxerit, notarit, digessetit, prodideritq́. ipsam disciplinam disciplinarum, quã vocant dialecticã, hęc, inquit, docet docere, docet discere, in hac se ipsa ratio demonstrat, atq́. aperit quę sit, quid velit, quid valeat, scit scire, sola scientes facere non solum vult, sed etiã potest: & ideò dicitur scientia scientiarum, qua clausa, ceteræ clauduntur, & qua aperta, ceteræ aperiuntur. Potuitne Augustinus loqui vel ad laudem dialecticæ vberius, vel ad rem præsentem accomodatius? Eadem ferè legere est apud Diuum Thomam in 1. post. & 1. prior. cap. 1. vt videatur cum Augustino tesseram contulisse. Opus. vero de Trinitate quæst. 6. art. 1. ad 2. Oportet, inquit, in addiscendo à logica incipere, quia aliæ scientiæ ab ipsa dependent, in quantum ipsa docet modum proceden-

dis in alijs omnibus. Idē est profectò sensus philosophorū omnium, qui hac de causa appellant logicam disciplinam disciplinarum, scientiam scientiarum, instrumentū philosophiæ. Tu verò adhuc ne tibi persuades moralem, ac ciuilem disciplinam sine dialectica obtineri non posse, ac proindè reipublicæ gubernatorem à philosophia pendere. Ad hæc ille: terruit me sanè magnoperè Augustini de dialectica testimoniū, quòd aduersus tantum Doctorē nihil à me video posse excipi; sed ea tamen, quæ abs te hactenus dicta sunt, omnino conficiunt eum, qui rempublicam aliquam præclarè fundare, optimisq́. legibus à se conditis stabilire, cultus diuini rationem, & totum de religione negotium, ius omne tùm æquum, tùm iniquum, quid fas, quid nefas cuiq́. sit de suo capite definire nullam omnino philosophiæ partem ignorare oportere: vt propterea lex, quæ pro-

prium

prium, & peculiare principis opus est à Chrisippo humanarum, diuinarumq. rerum notitia sit definita. Nunc verò cum iampridem hac cura non modo iurisperiti, iudices, ac magistratus, sed etiam principes liberati sint, iure vsque adeo spisso, crassoque excocto, vt ne à Iurisconsultorum quidem ingluuie totum digeri potuerit; sed partim Digestum sit, partim indigestũ relinquatur, nihil opus est leges condere; sed lege agere: non iura sancire; sed sarcire: oratione; non ratione: philologia, non philosophia; memoria legum, digestorum, codicum, paragraphorumque titulos, & initia promptè reddente; nõ ingenio inueniendi, iudicandiq. disciplina apprimè exculto. Etsi enim illud à Iurisperitis tertio quoq. verbo vsurpetur: Rationẽ animam esse legis; & in Gallia mos inoleuerit, vt non iura, non leges; sed legum rationes allegentur, nemini in probro est

si rationem non assequatur, aut dialecticè tractet, quòd iampridem omnes expudorarit Vulpiani illud.

Est pro ratione voluntas.

Aduersus hanc defensionem primo intuitu sanè pręclaram nouo mihi tunc ardore pectus incaluit, & plura dixi, quàm temporis ratio patiatur ad honestissimũ hunc consessum referri, cuius humanitate, ne abuti incipiam, magnoperè vereor. Perstringo paucis, quod si fortè olim incidat occasio libentissimè dilatabo. Ostendi non minore opus esse sapientia ius dicenti, quàm constituenti: ferenti leges, quàm interpretanti: primùm quia non raro euenit leges legibus prima facie aduersari, & ciuili inter se bello confligere, vt quemadmodum de Romanis legionibus cecinit ille

Pares

Pares aquilas, & pila minantia pilis:

Ita de legibus æquali iure dicamus

Legibus armatas furere in certamina leges:
Ius anceps pugnare foro.

Deinde quia non rarò si hoc loco,& tempore lege agendum pronuncies, æquitati apertissimè, atq. adeò menti Legislatoris contrarius videare; sin à lege desciscendum,paternarum legum euersor. Tùm quia frequenter scriptum valdè est ambiguum,quòd lex diù loqui sine æquiuocatione non possit; ideòque opus sit mentem assequi Legislatoris. Deniquè quia cum non omnia legibus caueri possint, vbi proxima lex non est,vtendum est simili, & propinqua, in quibus quæstionum generibus nemo non videt iudicia exerceri tutò non posse, nisi iudex Legislatoris mentem probè assequatur.

in singulis legibus, & de ipso etiam aliquando iudicium ferat, quo loco rectius, æquiusq́, senserit, nisi intelligat quousq́. legem pertinere voluerit, quando eius vim extendi, quando contrahi. vt planum sit eamdem æqui, ac iusti notitiam in Legislatore, & legis peritis, eãdemq́. iuris naturalis peritiam requiri, quàm non nisi Philosophiæ, ac Dialecticæ beneficio obtinere possunt, quod solæ naturale mentis lumen humanas ratiocinationes, ex quibus ius illud naturæ insitum illucescit certis legibus, ac præceptis confirment, vt nunquam ratiocinando aberret, & ita instar cotis acuant, vt nihil non penetret, perficiant, vt nihil non percipiat. His, alijsq́. effeci parem Legislatoris, ac legis periti debere esse rerum omnium cognitionem; immò legis periti longè maiorem. Quoniam vt rectè Arist. initio rhetoricæ, *Longi temporis consideratione leges feruntur, iudicia breuissimè*

uissimè conficiuntur; ideòque difficilius sit, vt benè à Iudicibus iustum, & conducibile distribuatur. Illud prætereà omnium maximum est, quod Legislatoris iudicium non de singulis, nec de præsentibus; sed de vniuersalibus, & de futuris est, Senator verò, & Iudex de præsentibus iudicant, quod certè longè difficilius est, quòd in singularibus negotijs multò plura sin expendenda. Quid epicheia? an non Iusdicentis est propria? & tamen castigatio quædam est legis, & procul dubio lege, & Legislatore superior. Quid æquitas, qua legis sæuitia ob ea, quæ singulare factum circumstant mitigatur, ne summum ius summa putetur iniuria? Maiorem itaq. iudicis, & legis periti, quam legislatoris oportet esse sapientiam, & mentis iudicium Dialecticæ legibus castigatius: ne lex sit perindè, ac gladius sontium iuxta, & insontium capitibus imminens, vel, vt Arist. monet, corpus

animi expers. Et quidem cum à Legislatore, & Principe proficiscitur, animata est, illa nimirum vi, qua pollet Princeps ad violatores pœnis, ac supplicijs afficiendos. Cum verò eandem Iurisperitus ad suæ causæ patrocinium accersit, si aduersarij contraria interpretatione possit eludi, inanima est. Eludi verò facilè potest (quam velim hoc abs te hodie probè intelligi) eludi, inquam, facilè potest, nisi dialectico more, acumine, & artificio proponatur, tractetur, expendatur, quid valeat, quid velit, quis sit germanus illius intellectus, quæ illius scribendæ fuerit ratio, quousq. extendatur, & quasi aurificis statera examinetur, versetur omnes in partes, vibretur tā certo ictu, & petitione, vt non parua quadam declinatione, &, vt aiunt, corpore effugiatur. Hoc verò esse præcipuum munus Dialecticæ, hanc laudem singularem, hanc erga disciplinas omnes vtilitatem,

vt

vt orationes omnes, & argumentationes acres efficiat, vehementes, incitatas, vibratas, contortas, collimatas, vt in aduersarij iugulum recta semper incurrāt, suadet primum instrumentorum, & locorum, quibus vtitur, natura; tum sapientum omnium testimonium; sed in primis Augustini. nam tractatu de cognitione veræ vitæ c. 3. *Dialecticam*, ait, *esse differendi potestatem, potenter quæque dubia definientem, cunctas scripturas euibrantem, euiscerantem, & cunctam humanam sapientiam annihilantem.* Et libro contra Cresc. prætermulta alia in hanc sententiam, ait: solum Paulum fuisse optimum Dialecticum, quia fuit disputator acerrimus: itemque Crisippum Stoicum, vt Carneades academicus vbi cum illo disputandū esset, eleboro purgandum cor esse censeret, ceteros autē vel pransus facilè superaret: hanc in Augustino disputante pertimescebant

Hæretici

Hæretici, vt propterea omnem cum illo congressum deuitarent. Merito itaque dixero dialecticum acumen animam esse legis, sine qua legum allegationes sint picturata quędam iacula, vel potius tyrsi sine ictu, & vulnere ab extrema cute impunè, atq. innoxiè repercussi: quippè in quorum coniectu nulla vis mascula torosos lacertos exerat; sed molles, & enerues manus lasciuiant. Hinc illę legum, digestorum, paragraphorum litaniæ, Iurisconsultorum elenchi tam facilè, & vbiq. obuij, vt statim depræhendas rapsodum memorem videri malle, quàm doctum. Quod si leges, & expenderentur diligentius, & acrius intenderentur; ius profectò adeò non esset anceps, nec Iurisperiti tam facile in eadem causa, vtramq. partem actoris, & rei sustinerent, instar Aesopici illius hominis, qui ex eodem pectore modo calidum, modo frigidum spiritum exhalabat: vel

Camæ-

Camæleontis in morem de amatoribus ſuis ſumerent colorem, & nomen: nec lites tàm paruò ſererentur; nec tã multò creſcerent; nec adultę perennarent. Bonus verò adoleſcens vbi in has ſe adactũ anguſtias ſenſit, vt nullus fugę aditus relinqueretur. Bone, inquit, Deus, ſi res ita ſe habet, cur Iuriſperiti penè oẽs Philoſophiæ, & Dialecticæ vel penitus ignari, vel de illarum olympico puluere non admodùm turpes? Cur paucis exceptis, qui ea, quæ ſoli didicerunt, tantoperè commendant, vt ſoli videantur ſapientes, ceteri omnes fatentur ingenuè adoleſcentes iuris lauream emereri cupientes fruſtrà Philoſophiæ addiſcendæ ætatem inſumere, fruſtrà Gordianis Dialecticæ nodis diſſoluendis immorari. Deinde cũ vitæ noſtræ periodus curſu adeò incitato præcipitet, vt barbam eodem penè die naſcentem, & caneſcentem videamus: contra verò de iuris prudentia

veriùs, quàm de medica diſciplina illud vſurpetur: Ars longa, vita breuis: quomodo prodeſſe ciuilibus reipublicæ negotijs poterit, qui tã multis iuriſprudentiæ præludijs inſeneſcat? quàm propudioſum eſt, caput non niſi canis albicans capillis in forum afferre, & iàm delumbatis ſenio lateribus declamare? quàm moleſtum, & graue in ętate, in qua aptiùs hæret lateri gladius, quàm pedagogus ſeuera diſciplina intrà hæc ſepta bis in dies ſingulos citari, ſeueriore contineri; vt ſi ſemel abſis, perindè ac ſi vadimonium deſerueris exilio, vel proſcriptione mulctere: ſi vocem paulò altius extuleris, ſi penſum ad amuſſim non impleueris punctim, vel cæſim feriare? Dicam apertè: nihil mihi eſt antiquius, quã vt in Ticinenſem illam libertatem me ipſum vindicem, in qua cuſtode remoto pro meo arbitratu eam, ac redeam, vigilem, ac dormiam in aures, ſi placet, ternas.

nas. Hìc ego ad amicum conuersus: tu verò bone vir, vt video causæ statum innertis. actorem me esse memineris, non reum, tuasque partes respondentis, non arguentis. Illud abs te responderi necesse est, satis ne ostensum sit præclarum te reipublicę moderatorem, Iurisq. consultum esse non posse sine Philosophia, & dialectica; non quid Iureconsulti quidam imperiti dictitent referre, vel Ticinensi liberrimæ impunitati magnis suspirijs ingemiscere. Nihil habes? te ipsum apud tuam fidem de tua sponsione conuenio. Repeto minerual. Verumtamen ne tecum summo iure agere videar, occurro tuis argumentis. Et primò quidem eorum Iurisconsultorum testimonium, qui Philosophiam nesciunt, non pluris facio, quàm cœcorum de colore iudicium. Nimirum sunt hi ex eo genere hominum, qui reiecti plerumq. ab arte aliqua vertunt se in eam partem, vt

quod

quod ipsi scire se profiteri non possunt, nullius frugis esse dicant. nimirum ignorantia comitem vbiq. habet contemptũ, & valdè procliue est, quod nescias reprehendere, ne scitu dignum aliquid nescire videare. At certè non ita Barthol. Iureconsultorum facile princeps eos docuit, de quo memoriæ proditum est antequam illa moliretur, quæ deindè magno posteritatis bono scriptis commisit, plurimum operę dedisse Dialecticę, quã plurimum item in eo negotio momenti habere experimento didicerat. Non ita Baldus superiori non longo proximus interuallo, quem Philosophia apprimè excultum fuisse scripta testantur. non deniq. ceteri, quorum laureæ præter ceteros est nobilitata viriditas. Deindè irrides eos, qui ætate paulò maturiore in forum veniunt. At quantum vicissim clientibus, Iudicibus, totiq. foro ludibrium debēt iuuenculi toga tenus consulti

fulti latè illa quidem ſemper olente, ac ſonante; ſed amores verius, quam honores, & clientelas emerente? Nemo non illos virginibus comparat, quæ quòd forma neminem alliciunt, ſemper nupturiunt, nunquam nubunt: quibus exprobretur apud vatem Baruch cap. 6. quòd *ſedentes in vijs, & oſſa oliuarum ſuccendentes non tamen ſint dignæ habitæ, neque funis earum diſruptus ſit*: aut etiam vltroneis mercibus, parum venalibus, emptore nullo: vel properatis fœtibus, ne dicam abortiuis, qui quò breuiore mora matris geſtantur in vtero, eò diuturniore nutricum in vlnis ludunt, penè inter cunas, & crepundia ſeneſcentes: & qui latere, quantum eſt neceſſe, nõ potuerunt, vltra quam ſatis eſt lactent; ſemper nihilominus corpore graciles, colore exangues, ſtatura ſemihomines, viribus euirati lucem tàm immaturè deſerunt, quam inuaſerunt.

Hac tu macula notatus audeas solem intueri? domo pedem efferre? Quantò itaq. honestius ætatem, quæ deliberationi, & consilio apta non est, liberalibus doctrinis, ijsq. adeò vtilibus, & necessarijs comparandis traduces, vt iuris laurea coronatus postero die consilio maturus meritò videare? Dispendia, mihi crede, sunt illa temporum compendia, quibus propriam cuiusq. rei ætatem antuertimus. nec vię compendia sunt, quibus præcipitamus potiùs, quàm imus. Has studiorum præproperas festinationes primũ inuenit inopia, arripuit auaritia, retinuit gloriolæ quædam de præmatura laurea ambitio, nunc lege propemodum sanciuit liberioris vitæ desiderium: sed tamen sunt tùm singulis adolescentibus, eorumq. vitę rationibus & (quod caput est) moribus; tùm reipublicæ vniuersæ perniciosissimæ. His tandem dedit manus bonus adolescens: & meum

meum hoc anno auditorem ſe futurum pollicitus à me diſceſſit. Mihi verò, cum paucis antè hanc diebus de præludij argumento cogitare cœpiſſem, venit in mentem eandem ſermocinationem ad vos referre; vt ſi fortè aliquis eodem, quo ille malè ſano conſilio duceretur, id eiuſdẽ diſſertationis relatu deponeret.

FINIS.

PAGINA.	ERRATA.	CORRIGE.
25	*nescit*	*nesciat*
30	*hinnirent*	*inirent*
39	*intersit, ne*	*intersit. Ne*
43	*moueat*	*moneat*
45	*Ille*	*Illa*
48 72	*proprius* | *admota*	*propius* | *admotà*
50	*Sed eo tamen*	————
51	*Syrenarum*	*Syrenum*
55	*delitia*	*delicia*
58	*Xerxem*	*Xersem*
62	*Roma*	*Romæ.*
66	*interesse*	*interesset*
67	*assuescunt*	*assuescunt ?*
74	*venerari*	*venerari ?*
	& consuetis	*e consuetis*
78	*cunabilis*	*cunabulis*
81	*vehementius*	*vehementior*
87	*index*	*vindex*
88	*fueris*	*fuerit parcus*
91	*benefitium*	*beneficium*
93	*circumpartita*	*circumpanità*
95	*Sexu*	*Sexum*
102	*Sed à sententia*	*Sed e sententia*
103	*cum in indole*	*cum indole*
107	*mulieribus*	*muliebribus*
114	*merito*	*mento*

120

PAGINA.	ERRATA.	CORRIGE.
120	*calamo*	*thalamo*
121	*desinet*	*desinat*
124	*dimittamus*	*demittamus*
	conciso	*concito*
125	*auferre*	*auferri*
126	*cogitantis*	*cogitantis:*
132	*protulerunt*	*pertulerunt*
136	*accersionem*	*accessionem*
143	*in ipsa*	*in ipsas*
169	*abduxit*	*adduxit*
174	*mente*	*mento*
175	*impendet*	*impendat*
188	*si proderet*	*se proderet*
233	*ter*	*te*
245	*nemini in*	*nemini tamen in*
249	*sin expen*	*sint exp*